

Visual Library Portal

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

Institutio Epistolica


Quae Post praemissa Praecepta utilissima, Praxin ipsam iuxta Stylum Floridum conformatam, inque Aulis Regum ac Principum, ut & in Curiis ac Contuberniis Doctissimorum Virorum hodie usitatam, solide sincereq[ue] exhibet ; Accessit in Fine Index Caputum ac Epistolarum locupletissimus


Rinck, Justus Gerhard


Noribergae, 1679


VD17 12:100033B

urn:nbn:de:s2w-276









JUSTI GERHARDI
RINCKI

HERMES
EPISTOLICUS.

JUSTI GERARDI

RECTORIS

HERMES

EPISTOLARUM

JUSTI GERHARDI
RINCKI
INSTITUTIO
EPISTOLICA,

Quæ

Post præmissa Præcepta
utilissima, Praxin ipsam juxta
Stylum Floridum conformatam, in-
que Aulis Regum ac Principum, ut
& in Curiis ac Contuberniis Doctis-
simorum Virorum hodiè usitatam,
solidè sincereque ex-
hibet.

Accesit in Fine Index Ca-
pitum ac Epistolarum locu-
pletissimus.



NORIBERGÆ,
Sumtibus JOHANNIS HOFF-
MANNI, Bibliopolæ.

*Litteris Stephani Rolckii, Oettingen-
gensis Typogr. Ordin.*

ANNO M DC XCIX.

☉ : (o) : ☉

PERILLUSTRIBUS AC
GENEROSISSIMIS

DOMINIS,
DN. PHILIPPO BERN-
HARDO à Pölnitz.

Domino in Aschbach / Heyda und
Hundshaubten/te.

DN. HERONI MAU-
RITIO de Glosster/

Nobiliori Domino in Dornum,
Dynastæ in Moritzbehr, Kiphusen,
Rersum, Groda atq; Swittersum, ut
& Capitaneo in Petkum

LIBERIS BARONIBUS,
PATERNÆ GLORIÆ AC
FAMÆ SUCCESSORIBUS
FELICISSIMIS.

UT ET

NOBILISSIMIS, PERSTRENUIS,
CLARISSIMIS AC LITTERATISSIMIS

VIRIS- JUVENIBUS
DN. CASPARO Dehne (Lipshensi).
DN. JOH. GEORGIO BÜTT-
NERO, Moeio-Francofurtensi

DN.

DN. HENRICO GÜNTHERO

Shulemeyer/Bremensi.

DN. JOH. WILHELMO BILGE-

RO, Moeno-Francofurtensi.

DN. GOTTLIEB Krannösten /

Ratisbonensi.

DN. JOH. JOSUÆ Rader / Lin-

davia-Acroniano.

DN. BARTHOLOMÆO ANTO-

NIO Matthen/Noribergensi.

DN. GEORGIO EBERHARDO

Engelbrecht/Gryphiswaldensi.

DN. CHRISTOPHORO FERDI-

NANDO Rottner/à Weyer/

Equici Austriaco.

DN. JOACHIMO BENJAMINI

BRUNOW, Cüstrino-

Neo-Marchico.

DN. JOH. CHRISTOPHORO


Gumprecht/Dresdensi.

DN. SEBASTIANO Meyer/

Lipsiensi.

DN. JACOBO CHRISTIANO

Halbach/Noribergensi.



DN. JOH. JACOBO Köffelholts
à Colberg, Patricio Norico.

DN FRANCISCO Barckhausen/
Moeno-Francofurtensi.

DN. JOHANNI de SOM, { Ham-

DN. JOHANNI STUHR, { burg.

DN. HAUBOLDO von

Zehmen/

DN. TOBIÆ von

Zehmen/

{ Equitibus

{ Misnicis.

DN. GOTTFRIDO SIGISMUN-
DO KOTTÆ, Dresdensi.

DN. JOH. MARTINO ZUSSNE-
RO à Zussneregg, Carinthio.

DN. JOH. CHRISTOPHORO
Im Hoff de Merlach.

DN. WOLFGANGO JACOBO
Müßel de Sonderspühl,
Patriciis Noricis.

DN. JACOBO EBERHARDO
Bünting/Hannoverano.

DN. JOACHIMO Everé / Ham-
burgensi,

*Salutem, Observantiam ac perennem
Felicitationem!*



Per-Illustres ac Generosissimi.
DOMINI BARONES,

ut &

Nobilissimi, Perstrenui, nec non
Clarissimi, ac Litteratissimi
DOMINI STUDIOSI,

Domini ac Fautores benevoli.

Sistit se expectationi
Vestrae in tenebris ha-
ctenus delitescens exi-
guus ingenii mei partus,
quem Altdorffinae Musae
ex ea ratione propriū sibi
vendicabant, quia in earū
gremio erat natus. Diffi-
culter equidē ad eum pub-
licae luci exponendum me
pertrahi sinebā. Ast quum
multorum in spem decus-
que patriae efflorescentiū

) (4

Juve-

Juvenum preces seriae eas
 apud me obtinerent par-
 tes, ut pro violati affectus
 symbolo agnoscerē, si au-
 res meas ad honestissima
 Eorundem desideria ulte-
 rius occluderem; hinc fa-
 ctum fuisse putetis, quod
 tenellæ proli è cunis suis e-
 mergendi potestatem tan-
 dē concesserim. Nec enim
 ab omni pietatis sensu ad-
 eò remotum me noverā,
 ut jactis prius metis posi-
 tisq; tyrociniis in praxi e-
 andem nonnihil præpara-
 rem ad uberiores cultum
 in litterario hocce Oceano
 in posterum capeffendum

Stipa-

Stipatam itaq; comitatu
 qualicumque litterarium
 hunc meum foetum com-
 mendo dexteritati Vestræ
 quæ sanè eò illustriores
 cordatissimæ indolis de se
 sparget stricturas, si eundē
 eo habueritis loco, quem
 sibi olim parens ejus à Pa-
 tronis Susceptoribusque
 magnanimis pollicebatur
 exoptatissimū. Certè quo-
 tiescunq; in dulcissimam
 illam pristini moderniq;
 temporis memoriam in-
 clino, toties non possum,
 quin mores Vestros ad om-
 nne humanitatis sancti-
 moniaeq; legem composi-

X 5


tos,

tos, seriò exosculer. Adeò
 pronos Vos in præclaris-
 simarum actionū studio-
 rumq; rectissimorū semi-
 ta decurrenda nunquam
 non offendi, ut etiam non
 immeritò dubitem, u-
 trum plures Vestri ordinis
 habeatis æquales. Quan-
 quam adulatoris faciem
 formamq; hic neutiquam
 assumam, probè memor,
 quod in tenerrima con-
 scientia Vestra anteaetæ
 & adhuc perennantis vitæ
 exstructum recordemini
 theatrum amplissimum.
 Potius de prolis meæ feli-
 citate

citate sollicitus, id unice à
 Vobis hac vice contendo,
 ut æquè blando serenoq;
 illam adspicere dignemini
 vultu, quo cum fasciis suis
 ad doctissima Vestra nunc
 properat contubernia. Et
 licet pollens potensque fa-
 cundæ linguæ munus sub
 primo molliq; hocce æta-
 tis suæ tempore nondum
 sit nacta, eam tamen ex
 Genitoris sui manu ducti-
 one acquisitam Vobis
 omnibus sine dubio pro-
 babit rationē, quam ipsi-
 met forsan desideriis Ve-
 stris dudum præstituistis.

Accipite itaque (quæ Vestræ est comitas) hoc ipsum oppignoratæ mentis meæ documentum certissimum, nec aliud pro decantata humanitatis Vestræ gloria eidem decernite præmium, quàm benignissimum Vestrum de eodem olim conceptū iudicium. Quo bono ex suffragio Vestro ditatus, satis felicē fortunatumque me putabo. Faxit modò Deus, ut ab hac sudoris nocte in perennem lætitiæ solatiique proficiatis meridiem. Me certè quod
 atti-

attinet, affectū illum Ve-
 strum, quo olim insignitus
 vixi, nec adhuc careo, la-
 tissimè per orbem porta-
 bo, eundemque narrabo
 posteris, ut consequentiū
 seculorum memoria sciat,
 cujus sanguinis geniique
 pignora fitis lectissima.
 Sed ne tædiosis forsan ser-
 monibus meis Vobis ulte-
 rius sim molestus, finio
 hac vice, nihil magis in
 votis habens, quàm ut
 persuasi modò fitis, quod
 jam tum perennes ulte-
 rioris promptitudinis com-
 pedes menti meæ injece-
 ritis.



ritis. Quod superest, ex
animo precor, ut per ex-
celsa paternæ avitæq; glo-
riæ vestigia æmulis gres-
sibus progrediamini, nec
tâm animo quàm corpo-
re florentes vigentesq; de-
gatis prosperrimè. Ita
optima spe suffultus vovet
atq; precatur.

Perillustrium, Generosissimorum,

ac

*Nobilissimorum Nominum Ve-
strorum*

Scrib: Altdorff I d. 13.

Decembr. 1678.

*æternum devotus devinctusq;
cultor*

JUST. GERHARD. RINCKIUS.

Pra-



Præcellenti VIRO
DN. JUSTO GERHAR-
DO RINCKIO,

Fautori suo certissimo

S. D. P.

HEINRICUS Linc^æ / D.

Pand. Prof. ac Consil. Nor.

Quotiescunq; Te intueor, mi
RINCKI, toties non pos-
sum, quin ingenuam &
ad optima quæq; natam in-
dolem Tuam sincero exosculer affe-
ctu. Dum enim non tam privatim
quàm publicè aliis prodesse studes, o-
pus certè omni encomio nostro majus
reapse præstas. Nec sanè splendidius
nomini Tuo conciliare poteras decus,
quàm si ipsis rerum argumentis de-
monstrares, quanti hæctenus feceris
elegantissima optimarum artium
studia;

studia. Nimirum sicut flamma materia alitur, urendoque clarescit: Ita virtutis studio incensus animus nunquam satiatur, donec vigilis partem beneque agendi consuetudine firmatam tandem obtinuerit palmam. Quam cum & Tu post ornamenta alia hac vice ex voto reportaveris, parum equus essem ingenii morumque Tuorum estimator, nisi fervidum illud studium, quo erga Minerva Musarumque sacra nunquam non aestuas, gratulatoriam quadam comitaber epistolam. Veneror proinde sinceram Tuam inserviendi promptitudinem ac vigilantiam. Tu modo perge bonis omnibus eam perpetuo monstrare semitam, qua multis hactenus non sine ingenti singularis laudis suffragio praeluxisti. Sic bonis literis, quamdiu vixeris, praesidio ornamentoque eris. Vale Fautor suavissime! Dab. Altdorff, Idib. Decemb. A. C. 1678.

JU-



JUSTO GERHARDO
RINCKIO,

VIRO Clarissimo,

Amicoq; Optimo,

JOH. CHRISTOPHORUS
WAGENSEILIUS.

S. P. D.

NUm sermonis usus, & mu-
tuum colloquendi com-
mercium, inter homines &
pecudes verum discrimen faciat,
existimet quis nondum plane ex-
peditum esse. Judæi enim, ex an-
tiqua traditione omnino tuentur,
brutis quoque animantibus quan-
dam vim inesse, ad sensus suos
mutuo exprimendos. Quin insu-
per hoc sibi credi postulant, non
solum multos priscorum inter ip-
sos Sapientum, ac præcipue Salo-
monem

monem quoq; Regem, linguarum
 quibus quodq; animal utitur, fu-
 ille oppido gnaros; sed & adeo
 nemine ad Senatoriam in magno
 Synedrio dignitatem aspirare po-
 tuisse, nisi qui præter septuaginta
 hominum (tot enim numerant)
 diversa idiomata, peccudum quo-
 que voces accurate intelligeret.
 Esto autem, pertineant hæc ad illos
 Judæorum, ceu Apostolus non
 verè minus, quam scitè vocavit,
 βεβήλας καὶ γραῖδες μύθους, sal-
 tem quondie videmus psittacos
 sic edoctos suum χᾱίρει expedi-
 re, & picas nostra non infeli-
 citer conari verba. At eò, quod e-
 quidem sciam, nondum progressa
 est vel fingendi licentia, ut pecora
 literas invicem missitare comini-
 sceretur; vel quorundam circa
 illa ærumnabilis ars ac industria,
 ut elementorum nostrorum
 ductus imitari instruerentur. Un-
 de


de quisquis ille fuit qui in insulam naufragio delatas, cum literarum ductus, & figurus quasdam geometricas, in littoris arena vidisset; hominis se vestigia videre proclamaverat, recta sic arbitratus est, nam à brutis talia proficisci non potuere. Proinde semper inter humaniora, hoc est homine maxime digna studia, potiore loco habitum fuit illud, quo eleganti comptæq; epistolæ scribendæ quis assuescit, atq; sua laus honosq; mansit eos, qui in hac eruditionis parte Juventuti Bonam Mentem juxta cum scriptione non publici saporis amanti, duces & magistros se præbuerunt. Quod cum dico, Tibi dico *Clarissime RINCKI*, qui, quod poteras, novum in hoc doctrinæ genere nobis das specimen, & publice prodesse niteris, quemque ego ea mox virtutis ac solidæ eruditionis

nis

nis præmia nancisci velim, quæ
 voto fingis, quæq; mereris. Ob-
 trectatores lucubrationum harum,
 si qui futuri sunt, jubeamus Co-
 mici verbis, *cognoscere atq; igno-
 scere, quæ veteres factitarunt, si
 faciunt novi.* Tu interim, VIR
 Clarissime, Vale multum, & nos,
 quod facis, ama. Sc. raptim in
 Museo a. d. 13. Decembr. A. C.
 1678.



Clas



☉ I. ☉

Clarissimo ac Doctissimo.

DN. AUTORI,

Amico suo,

R*ecte & prelarè facis, ô doctissime*
RINCKI

*Quòd prodire typis hac Tua scri-
pta sinus.*

*Nempe ea permultos Juvenesq; Vi-
rosq; juvare (Stilum.*

Possunt, ut valeant arte movere

*Perge ita, mi RINCKI: perge incla-
rescere scriptis!*

*Sic tandem ad portum Te Tua cym-
ba vehet.*

*Paucis hisce versiculis ex animo
applaudere voluit*

G. Matth Königius,

☉ II. ☉

D*octus & indoctus scribaci hoc
tempore passim.*

*Scribit Epistolium; non tamen Or-
bis eò,*

Vi-

Vivere contentus poterit, sed *Epistola*
semper (erit :

Scribetur, calamo scriptio donec
Hoc etenim varius, quem praestat
Epistola, suadet

Ufus, nec felix hac sine quis fuerit.
Quin felix igitur sit *Epistolicus* bene
comtus

RINKIADIS *Labor* hic haud dubitare
licet. (in isto,

Utpote qui primus decurrit tramite
Si methodum reputes, materiam,
atq; stylum.

Nempe, velut facile est cognosse ex
ungue Leonem,


Monstrat *Epistola* sic rite Viri inge-
nium: (Suada,

Hinc cum RINKIADIS promahet mellea
PATRONUS veniet SPARTAq;
spero brevi.

Ita

*Commensali suo amicissimo sin-
cerè vovet atq; gratulabun-
dus auguratur*

D. G. Mollerus, Poson.
Hungar. Historia. & Me-
taphys. P. P.



III.

Ad

Clarissimum Scripti hujus

AUTOREM

QU^a lotus manibus scribatur Epi-
stola, RINCKI

*amata Svada portio, dum perdoces ;
en, simul inscribis doctis tua nomina
fastis,*

*(gis.
omniq; commendas Te epistolam
Maete brevi titulis meritis & honoribus,
& (qui*

epistolarum finis est) longum VALE!

Scribeb. Altdorfii

Magnus Daniel Omeis, Ech.
& Eloqv. Prof.

IV.

DUM Stylus & Latia friget facundia
linguae,

Ostendis pectus ductum meliore me-
tallo,

Ambrosio teneram pascendo lacte Ju-
ventam.

Scilicet assiduus Stylus est non debile
calcar

Menti-

Mentibus ingenuis, penetratq; poten-
 tius omni
 Tormentorum ictu, si non sit nactus
 ineptam
 Materiem, ac penitus generosæ laudis
 egenam.
 Hinc Tua mens omni Sophiæ munita
 paratu,
 Nullius & virtutis inops, cultuq; fideli
 Mansuefacta, bonas & ad unguem ef-
 ficta per Artes,
 Nil timet objectas acies, ac tela pro-
 cacis (pulchrè.
 Invidiæ, dum surgit ad ardua munia
 Macte gravi studio, macte immortali-
 bus oris
 Ingenii. Sic fama favens Te sistet
 Olympo:
 Sic Tua per totum florescet gloria
 mundum.

*Ita germani sui Fratris labori fru-
 ctuosissimo inter varia civilia
 negotia ex animo applaudebat*

Georg. Conrad. Rincke,
 Illustrissimi Regiminis Gü-
 strovio Mecklenburgici Se-
 cretarius.

COM-



COMPELLATIO AUCTORIS,

Qua

Lectorem Candidum bene-
volumq; ad masculam soli-
dioris litteraturæ invitatur
elegantiam.

Quemadmodum præclaris
Veterum repertis venera-
bundi merito insistant, qui
Prudentiam cum amabili
conjunctam amant scientiâ; ita ne-
mo fermè ab omni elegantioris litte-
raturæ culturâ adeò remotus ibit, qui
Eloquentiam cum formosâ & tot lau-
ris coronisq; nobilitata Sophia in tho-
rum suum non vocabitur lubentissimè:
præsertim quum ex tot gravissimorū
Rhetorum assertis indubium habeat,
quod elegans ac perspicua Epistola
osculis atque amplexibus nostris sit
dignissima. Quomodo enim in aulis
Regum Principumq; desideratam voti
A nostri

2 COMPELLATIO AUCTORIS

nostri metam legitimè decenterq; obtinebimus, non interveniente epistola aliqua supplice? Quomodo in Curia atque Senatu causam nostram felicissimè perorabimus sublato necessario hoc parario? Quomodo absentes & tot spatiosis locorum intervallis à nobis distitos longissimeq; remotos de fortunà aliorum rebusq; nostris certiores reddemus, remoto fidissimo hoc internuncio? Quomodo deniq; in petendo, comendando, hortando, laudando, accusando, exprobrando, excusando, jocando, consolando, gratulando, nuncupando, aliisq; necessitatibus nostris, inoffenso procedemus pede, nisi interventu litterarū id fiat. Hinc tot accensas videas faces Epistolographorum peritissimorum, quorum eximium numerumquum in studio ac stadio hocce litterario non sine profundissimo voluptatis nostræ sensu ineamus; ita non inanem laborem suscepisse putabimur, si tantis ingeniis gratissimam sempiternæ memoriæ aram publice hic erigamus. Novimus nimirum, ipsaq; experientia magistra satis compro-

probatū habemus, quā serió in præ-
 ceptis optimis efformandis effigian-
 disq; defudari ut magna nomina, De-
 metrius Phaléus, Lippus Brandoli-
 nus, Rochus Pilorcus, Civis Perusinus,
 Erasmus Roterodamus, Ludovicus Vi-
 ves, Conradus Celtes, Justus Lipsius,
 Jacobus Pontanus, Johannes Voëllus,
 Simon Verepæus, Theodorus Siberus,
 Augustus Buchnerus, Georgius Fab-
 ricius, Christophorus Heidmannus,
 Thomas Sagittarius, Christianus
 Chemnitius, Jacobus Clauderus, Dil-
 herrus, Philippus Horstius, & nuper
 admodum Clarissimus ac disertissimus
 Vir, Dn. Christophorus Schraderus,
 Eloquentiæ Professor in illustri Julia
 hodiè meritissimus ac celeberrimus.
 Nec intra gloriosa hæc septa solū
 subsistere voluerunt aliæ generosæ
 animæ, sed præter purpuram ex Tul-
 lianâ elegantia contextam, in civili
 quoq; comparuerunt foro, Hugo
 Grotius, Christophorus Forstne-
 rus, Augerius Busbequius, Boxhor-
 nius, Bœclerus, & illustris ac meritis
 maximis notissimus Vir, Dn. Herman-
 nus

4 COMPELLATIO AUCTORIS

nus Conringius; adeò ut satis graves ponderosasq; habeamus rationes politicam prudentiam ex tantis Civilis prudentiæ doctoribus relligiosè reverenterq; exosculandi. Tantum tamen abest, ut ex suavissimo hocce ambitu excludamus veterum Latinorum, Senecæ nimirum, Plinii, Symmachi, Cassiodori, Sidonii Apollinaris, ac Ennodii Ticirensis litteras, publicis usibus consecratas; ut potiùs cordatissimorum illorum Scriptorum, nimirum Æneæ Sylvii, Antonii Mureti, Erasmi Roterodami, Josephi Scaligeri, Justi Lipsii, Danielis Heinsii, Salmasii, Dominici Baudii, Francisci Junii, Isaaci Casauboni, Casparis Barlæi, Erycii Puteani, Petri Bembi, Angeli Politiani, Sadoleti, Camerarii, Johannis Calvinii, Theologi, Petri Victorii, Joachimi Perionii, Caroli Sigonii, Octavii Ferrarii, Jani Nicii Erythraei, Georgii Remi, Baronis, Doufæ, Wouweri, Bongarsii, Barclaji, Reinesii, Thomæ Bartholini, Jacobi Fabri, Richteri, Christophori Adami Ruperti, Neuhusii ac Cabellii ac Philologorum

rum Epistolas tersissimas quoad virtutes eximias internumq; Romani eloqui cultum sum̄operè laudemus & admiremur. Quô in genere quum Sol non viderit puriorem, nec tellus tulerit disertioem Marco Tullio Cicerone; ita nemo à Gratiis Musisq; omnibus tam averſam geret mentem, qui sum̄o illi dicendi scribendiq; magistro, utpote qui primus tot in toga triumphos, tot in civili foro Romanæq; dictionis campo adeptus est lauros, purpuram regalem triumphalemq; religiosa manu deferre recusabit. Quem inclutum ducem quum & ego ab eo statim tempore, ubi primas pueritiæ metas sum egressus in hunc usq; diem sectatus fuerim pro virili, quid causæ habebō, quur meum solius in adornanda hac Epistolice Institutionis structura dignum cruce putē facinus? Ut enim ferrum trahitur à magnete: ita crescit & in plantas quasi exfurgit quicquid solerter exprimendo à tanto didiceris artifice. Nec enim hîc imitandos reor imperitos pictores, qui in facie hominis cujusdam honestè ex-

6 COMPELLATIO AUCTOR'S

primenda nam vum verrucamq; quidem
facile assequuntur, indolem contra
puram apertamq; imò vultum ipsum
indocto suo penicillo non rarò turpif-
simè deformant, qui tamen neglectus
à prudentibus Epistolographis abesse
debebat quàm longèssimè. Sanè frustra
Ciceronis aliorumq; ingeniosissimo-
rum artificum epistolas doctissimas
suspicies & admiraberis, nisi Tu quo-
que sumto in manus calamo quotidie
Te exercueris. Cujus boni eò citius
participem Te factum reris, si stylum,
optimum illum ac præstantissimum
dicendi scribendiq; magistrum præ
aliis nobilissimis curis ac medita-
mentis in deliciis suis habueris.
Quum enim exercitatio sola in dicen-
do ac scribendo promptos paratosq; nos
faciat, quomodo ornamenta optima
ab aliis assumes, si in exprimendis in-
signioribus epistolarum formulis ac
speciebus remissior deprehendaris.
Nimirum sicut digiti, nisi ab initio
cum intentione singulari in cithara
ponantur ad numeros suos spontè non
venient in chorearum usu; ita mens
dulcis-

dulcissimò illò floridioris dictionis
nectare non pasta, rarò descendet in
amœnissimum hunc & tot odoriferis
floribus vçstitum campum. Frustrà
itaque optabis saluberrimum masculæ
latinitatis gustum, nisi priùs incorru-
ptum eloquentiæ sanguinem ex ipsis
Ciceronianis, & qui proximum à Ne-
store hoc tenent gradum, hauseris epi-
stolis. Sanè non video, quidnam illis
ad Lentulum, Memium, Terentiam ac
Tironem humaniùs, dulciùs, officio-
siùs ac teneriùs fingi excogitariq; pos-
sit. Taceo hàc vice alias delicatas epu-
las, quèis ad satietatem usque facun-
dus flexanimusq; Cicero pascit lecto-
rem industrium. Quò nomine etiam
eum, qui in dicendo scribendoq; ex-
pressiora cum exquisitissimo hocce
artifice ducere valebit lineamenta, po-
tentiorem perfectioremq; judico.
Quanquam diffiteri nolim, quod præ-
ter prudentissimum hunc Secretariũ
alii etiam in exarandis submissis ad Re-
ges, Principes, Respublicas atque Pa-
tronos litteris, consulendi veniant
Consiliarii. Quò in studiò quum mul-

8 COMPELLATIO AUCTORIS

tos hæcenus non frustra viderimus ingeniosos, primã tamen præcipuamq; sibi dari postulant palmam; & quidem in artificioso habitu acquirendo, Aristoteles, in eloquentiã verò foro referendo, Cicero. Certè si ullum seculum curiosos nactum est oculos, hoc nostrum illud est: in illo enim homines quibuscum quotidie vivimus conversamurq; sunt spectandi, atque ad iudicia eorum non inepta scriptio omnis temperanda. Et quoniam variã, de quibus singulis ferme diebus scribimus, dantur materiã, quã poteris ab unico doctore ductoreq; tantam Tibi varietatem ex voto polliceri, nisi insignem simul tecum attuleris apparatus, ex aliorum peritissimorũ artificum pretiosa supellectile exstructum. Ad certa tamen genera diversos illos materierum flexũs quã comodissimè redigi posse, in propatulo est. Hinc à Justo Lipsio non vulgare discrimen constitutum videas inter epistolas serias, doctas, ac familiares. A Paulo Manutio verò inter negotiales ac morales. *Seria* certe sunt, quæ ad publica privata-

vataq; pertinent negotia, quæq; solito
 uberius tractantur, & cum cura singu-
 lari consignantur. *Doctæ* ea præprimis
 continent, quæ aliàs ad scientiam aut
 sapientiam sunt referenda. *Familiares*
 sunt, quæ in comuni & assiduâ vitæ
 nostræ consuetudine occurrunt. *Ne-
 gotiales* significant, quo in statu sint
 sive publicæ sive privatæ res nostræ.
Morales deniq; officium potius quàm
 negotiũ ipsum figurant ac designant.
 Rationem forsan ultimarum harum
 ambarum formularum si nôsse deside-
 ras, tunc non dubitamus, quin Tibi in-
 notuerit dudum, quod Eruditi omniũ
 epistolarum argumenta vel à nego-
 tio, vel ab officio, tanquam legitimis
 suis fontibus deducta recordentur.
 Ante omnia verò *nobile illud decorũ*,
 quod ab Aristotele ac Cicerone toties
 tibi inculcatum nôsti, in tempore ob-
 servare disce. Illud verò in gravissimo
 illo momento potissimùm exsplende-
 scit, ut nimirum probè consideres, cui
 scribas & quid scribas. Quâ cautelâ di-
 missâ multi olim & ad huc hodiè om-

10 COMPELLATIO AUCTORIS

nem scriptionis suæ gratiam prorsus
amifere. Nec enim multiloquentia aut
effectatâ breviloquentiâ accessum Ti-
bi parabis ad magni cujusdam Genii
thronum. Perspicuitati potius ac puri-
tati omnes Tuas devoveas cogitationes,
quæ eò illustriores devotissimi pecto-
ris de se spargent stricturas, si verbis
usus fueris propriis, usitatis, & rite re-
cteq; collocatis. Quod si prætereà lit-
teris Tuis splendorem venustatemq;
conciliare aves, sententiis gravissimis
easdem ornes; adeò ut illæ non tam
verbis, quàm rebus ipsis sint divites.
Certè, qui sola tantum verba rebus
omissis consecratur, is idem mihi face-
re videtur, ac si quis ex horto instru-
ctissimo flosculos quosdam, in quos
forsan præter spem incidit, nulla fru-
ctuum optimorum habita ratione de-
cerpat. Ast nemo id intelligentis ho-
minis esse dixerit. Cavendum igitur
& Tibi erit sedulò, ne in lectione epi-
stolarum, aut quorumcunq; Scripto-
rum ita verferis, ut fructu illo, quem
ex iisdem aliàs capere debebas jucun-
dissimum, excidas. Tandem etiam mo-
neo,

neo, ne Figuris destitutus incedas. Eæ verò sint raræ, nec inverecundæ, quippe quum epistolæ seriæ non omnem omninò respuant ornatum. Nimirum quum omnis rerum materies sit triplex Argumentorum videlicet, Morū & Affectuum; omnem quoq; eam suppellectilem epistolicum characterem continere debere, certissimè persuasus sit velim. Jam verò quæ publicè de negotiis arduis ad Magnates Respublicasq; mittuntur epistolæ, assurgere non nihil, ac supra vulgarem loquendi consuetudinem attolli, imò paulò studiosius consignari debent. Secus verò se res habet cum istis litteris, quas amicorum necessitatibus solùm volumus consecratas: illæ enim ut plurimum contentæ sunt apparatus illo, qui ad conservandam quotidiani sermonis speciem quodammodo potest facere. Unde exiguum, imò fermè nullum inter dialogos talisq; notæ epistolas reperire licebit discrimen. Tantum enim abest, ut humile hocce ingenui pectoris simulachrū ampullas sesquipedaliaq; affectet verba ut potius in-

affectedatâ simplicitate, tanquam verâ
naturaliq; pulchritudine suâ contentû
vivat. Grandem proinde stylum, quem
in rerum magnarum tractatione ad-
vocare solent Oratores, à sacris suis
prorsus abesse jubent familiares nostri,
probè memores, quod emendicati illi
verborum inanium flosculi in amico-
rum pectoribus nihil aliud nisi nauseâ
creent, merumq; fumum relinquunt.
Præclara profecto sunt, ac supra omnē
comendationis aleam assurgunt verba
ista, quæ ex fœcundo facundoq; inge-
nii sui penu nobis subministrat Deme-
trius Phaléreus, quando tenerrimo in-
fucatoq; amicitia vinculo constrictus
inquit, quod ex nullâ oratione scri-
ptoris mores æquè dignoscere valea-
mus quàm ex Epistolâ sincerâ. Hac e-
nim tanquam Mercurio aliquo fidissi-
mo amicum nobis pectus per centena,
imò sæpè millena aliquot milliaria ad
mutuû amoris fœdus sanctè sincereq;
conservandum, provocamus. Hâc ipsa
tanquam pulcherrimâ expressaq; men-
tis nostræ imagine adamantinû amicitia
vinculum laudabiliter conserva-
mus.

mus. Quò nomine Gregorius Nazianzenus epist. Jam illam iudicat pulchrâ quæ nihil fucati admixtum habet, sed quæ potiùs nativam suam faciem sine ullo adulationis fucò refert. Cicero quidem oratorios interdum lacertos in epistolis nonnullis ad Senatum populumq; Romanum missis assumsit, sed cum hâc tamen cautione, ut discrimen faceret inter Majorum gentium Deos & familiares. Nec ab hac sententiâ diversum videas Aristotelem, utpote qui perfectas accuratasq; præclarissimi artificis lineas ducturus, demonstrationibus interdû usus fuit epistolici: sicut cum docere vellet, magnis pariter parvisq; civitatibus esse beneficiendum, ait: *Dii enim in utriusque sunt æquales. Itaq; & Gratia, quoniam sunt Dea, æquales sibi residebunt apud utraq;. Nam & quod demonstratur, inquit Phaléreus, scriptor in florentissimo Græciæ regno quondam eximius, Epistolicum est & demonstratio ipsa. Quoniam autem & civitatibus intereaum & Regibus scri-*

A 7 bimus

*bimus, sunt ejusmodi epistole paulo
 magis elevate. Mens enim dirigenda
 est in personam cui scribitur, quippe
 quum reverentia ac personarum di-
 gnitas longiorem gravioremq; postu-
 let orationem, teste doctissimo Mase-
 nio. Elevate tamen sint, pergit lau-
 datus modò Phaléreus, sed non ut Li-
 ber aut commentatio fiat pro episto-
 las sicut ille Aristotelis ad Alexan-
 drū, & Platonis ad Dionis familiares.
 Universim autem miscetur epistola
 quoad elocutionem è duobus istis cha-
 racteribus, Urbano & Exili. Quæ
 cum ita sint, quis dubitabit amplius,
 quin epistola seria, peculiaria sibiq;
 propria assumat ornamenta, & quod
 prætereà ingens discrimen intercedat
 inter epistolas ad viros in summa digni-
 tate constitutos, & illas ipsas, quas a-
 micorum necessitatibus solùm volu-
 mus consecratas. Accuratò proinde in
 discernendis aliis indolis hujus argu-
 mentis opus erit judiciò, ut hâc ratio-
 ne animum nostrum approbare disca-
 mus omnibus. Et quia nemo sibi suffi-
 cit?*

cit, atq; adeò pessimo fermè magistro se quisq; utitur, præprimis is, qui imperitum secutus fuerit ducem. Hinc prudentissimi quiq; epistolicae artis Magistri suadent, ut peritos fidelesq; in itinere nostro, justo cum fructu emetiendo, adhibeamus antecessores.

Qui enim probum laudabileque sermonis genus sibi parare student, inquit Clarissimus Heidmannus in doctissimis suis ad Justi Lipsii Institutionem epistolicae notis, illi tales legant scriptores, qui virtutes aliorum potissimas exprimere didicerunt. Et hoc demum erit imitari. Nemo verò ex omni eorum numero, quos literatissimum seculum nobis dedit, distinctiùs hac de re egit, quàm Justus Lipsius, Phœnix ille Litteratorum imortalis; licet multi hodiè dentur, qui de adstricta Ejus brevitate indocta prorsus circumferant judicia. Sed tantū abest, ut laconica hæcce paucis data virtus vituperatione ulla sit digna, ut potiùs triplex illa imitatio, quã rectis studiorum rectorum elegantiorumq; imitatoribus

toribus in epistolico dicendi genere usurpandam exhibuit, quàm maximè veniat amplectenda. *Primò* enim vult laudatus modò Scriptor, ut in juvenili flore constituti totã orationis Tullianæ faciem æquabili sermonis filo exprimant. Jã verò nemo corpus aliquod floridum, & præter illud contextum orationis concisum æquabilemq; formabit, nisi simul disertissimi Tullii orbitã anxio prefferit pede, & præter formulas, phrasin quoq; numeros ac membra aptaverit rectè. *Secundò* fidelis suafor auctoꝝ est, ut ad crescentẽ imitationem adsurgentes, præter M. Tullium, Quinctum Curtium, Vellejũ Paterculum, Livium, Cæsarem ac Florum, utpote qui ad Ciceronis fastigiũ elegantia, puritate, venustate, omniq; oratoria dignitate quàm proximè accedunt, seriò imitentur. *Tandem* etiã adultioribus profectibus consulens, seriò omnibus in Oratoriã Epistolicaq; palæstra versantibus præcipit, ut fortẽ vereq; virilem stylum assumpturi, post Sallustium ac Senecam Cornelium quoq; Tacitum, Augustæ Historiæ profunda-

fundæq; prudentiæ Principem incomparabilẽ, diligenter legant relegantq;, ut præfidiis hisce quasi suffulti, luxuries illa, quæ in puerili crescenteq; adhuc dabatur imitatione, acutâ quasi falce paulisper recidatur, & oratio ipsa figuris. acuminibus ornamentisq; dives, stricta, nervosa, & cultu interno grata amœnaq; fiat. Intereà unusquisq; qui docti hominis nomen famamq; ex voto retinere studet, det operam, ne κακοζηλία seu affectatione nimia, eruditæ animabus aliàs ut plurimùm congenita malè sit notatus. Quod certe vitium hodiè à benè multis sub specie virtutis venditari consuevit, quũ tamen eo ipso nihil turpius magisq; perniciosum sit. Quis enim quæso epistolam illam pro optima ac præstantissima agnoscat, quæ præter rudem hominem eruditum aliquod ingenium afficere, impar fuerit deprehensa? Sanè sicut virginem illam pro verè formosa non veneramus, quæ neglectis interioribus virtutum pulcherrimarũ ornamentis de exteriori faciei purpuriffo tantùm est sollicita: ita nec epistolam illam

illam pro verè ornata exosculamur, à quâ cultus omnis prorsus exulat. Ast cultus ornatusq; epistolaris intra septa sua se debet continere. Nimiù namq; exasperat, non condit cibos. Ut enim melle aut aceto imoderatius affuso ciborum vigor saporq; opprimitur: ita iisdē condimentis, quibus temperatè adhibitis sapit oratio, intemperanter usurpatis, subito desipit, ac venenū esse incipit, quod poterat esse antidotum. Nemo verò tam absurdos nos putet, quasi falso persuasi simus, ac si res & verba, nullo delectu nulloq; iudicio adhibita, epistolicum characterē ornent; sed potius tales nos esse credat, utpote qui nihil magis detestemur, quàm incuriam supinamq; in litteris commissam negligentiam, hanc enim cum doctis viris ultra Sauromatas glacialemq; Oceanū quàm longissimè relegamus. Inventio itaq; atq; ordo in litterario hocce curriculo puncta merebuntur excellentissima. Ut enim non dixeris scripserisq; benè, nisi argumenta, quibus prudentiā probitatemq; Tuam demonstras, habeas in
prom-

promptu: ita nec aliter poteris, quin res
 ipsas, propositæ materiæ inservientes,
 prius invenias, inventas postea dispo-
 nas, dispositas porrò verborum senten-
 tiarumq; luminibus exornes, ac tan-
 dē ritè recteq; ornatas, florido sermo-
 nis filo vestias. Et sic fiet, ut de Epistolâ
 doctâ non vana nec irrita imposterum
 tollere sufficias signa. De styli virtutib⁹
 ac vitiis, ut & de scriptoribus, qui rectâ
 viam novissimo hocce tempore te-
 nuerunt, quiq; â vera orbita deflexe-
 runt, in peculiari dissertatione, si mo-
 dò Deus integras vires clementissimè
 mihi concesserit, posthac agâ, non su-
 spenso intereâ illustri illo & tot egre-
 giis evidentissimarum utilitatum elo-
 giis donato excerpti modo, quem
 præter Erasmus Roterodamum. Jo-
 hannem Sturmium, Jeremiam, Drexe-
 lium, Johannem Schefferum, Johannē
 Petrum Titium, Justus Lipsius ad tres
 peculiare remittit libellos, nimirum
 ut unū Formulæ, tam materiæ quàm
 contextui inservientes; alterum orna-
 menta ac illustria sermonis lumina; &
 tertium insigniores nitidioresq; phra-
 ses,

ses, & præter illas, verba rara, sive illa
 novo sensu sive flexu singulari vestita
 occurrant, legitimè absolvant. Atque
 sic, nî mentis meæ auguria me omni-
 nò fallunt, elegantissimis pariter pro-
 ficiendiq; amore fervidis ingeniis fa-
 cilè fidelemque monstravi viam, quo-
 modo nimirum conciliare sibi possint
 Reges, Principes, Magistratûs, Patro-
 nos, Amicosq; optimos eximia illa
 epistolas rectè consignandi virtute, ut-
 pote cujus necessario usu minùs carere
 possumus, quàm igni, aquâ & spiritu
 illo comuni, quem nos mortales de
 cœlo ducimus quotidie. Sed ne Tibi,
 candidis cordatisq; moribus prædite
 Lector, operosiore Discursûs ambitu
 ulterius sim molestus, finio hâc vice,
 nihil magis in votis habens, quàm ut
 in laudatissimo Styli exercitio magis
 magisq; proficias, & post tot partes
 lectionis scriptionisq; assiduæ fructûs
 eximios, diligentia Tuæ palmam re-
 portes exoptatissimam, eamq;
 nobilissimam.

CAPUT I.

*****:*****

CAPUT I.

De indole ac natura Epistolarum, variisque earundem nominibus.

UT in Epistolis potentissimorum Regum Principumque, ac magnorum Virorum cultui devovendis, rectam legitimamque teneas viam, & nemo forsan de effectu nostro, quem non irritis vanisque hactenus mancipavimus promissis, conqueri possit; en optimis Præceptis Te, ò Studiose Lector, instruemus, ut adminiculis hisce præmunitus, eò solidiores ex qualicunque Institutione nostrâ reportate possis fructûs. Jam verò, etiam nobis tacentibus, Tibi forsan innotuit dudum, quod variæ, de quibus scribimus, dentur materiæ; nec obscurum prætereà, quod singulæ eæ peculiare sibi reservent observationes, quas ut citra ullum pretiosissimi temporis dispendium in usus Tuos seponere discas, rem cum utilitate Tuâ quàm

quàm maximè conjunctam arbitreris. Sic alià longè assumunt ornamenta Epistola, alia Oratio, alia Historia, alia Disputatio, alia deniq; Dialogus. Quis enim tam absurdus sit, qui ex epistolis Ciceronianis stylum historicum, aut qui Cruciorum, Pantherorum, Canutorumque histrionicam levitatem affectans, characterè epistolicum ab ejusmodi mimis sibi polliceatur; quum tamen unicus Cicero satis sanguinis acuminisq; habens verè regium thesaurum omnibus, qui modò verã nec affectatam amant eloquentiam, exponat venalem. Et quoniam ex Marci Tullii suffragio, omnis, quæ à ratione suscipitur de re aliquâ institutio, à definitione debet proficisci: Idcirco & nos, ne in alienà prorsus oberremus sylvâ, & legem illam, quam sibi præfens aliàs præstituit structura, datâ operâ violemus, nolumus hâc vice omissis necessariis ad magis protrita descendere, sed potiùs (quæ nostra bonas literas adjuvandi promptitudo) tenellæ pariter ac maturæ ætati ad intimiora artis epistolice adyta gradum strue.

struemus desideratissimum. Definimus
verò Epistolam, quod sit scriptus ani-
mi nuncius ad absentes, de iis potissi-
mùm rebus, quas scire interest, agens.
Quo ipso asserto nihil certiùs depre-
hendimus. Quum enim omnia littera-
rum interventu expediantur, & nemo
firmè sit, qui de publicis privatisque
rebus agens, fidissimo hoc internun-
cio vel ad breve quidem tempus care-
re possit; facile inde colligitur, non
utile tantùm & honestum, sed sumo-
perè etiam necessarium homini esse,
ut certam quandam teneat rationem,
quam in scribenda epistola tutò possit
sequi. Quò in genere quum patrum
avorumq; nostrorum memoriã plures
hactenus non frustra viderimus curio-
sos; præstat tamen ut ipsimet mentem
nostram juxta optimorum scriptorum
exemplar conformaturi, stylum tan-
quam optimum ac præstantissimum di-
cendi scribendiq; magistrum, non
postponamus, sed potius eundem ad
masculam tersissimæ latinitatis cultu-
ram adsuefactũ, continuò eoque non
interruptò alamus exercitio. Hac
enim

enim ratione fiet, ut ingenium nostrum facillimis præceptis corroboratum, judicium simul secum ad maturam laudatissimæ scriptoris messem sit invitaturum. Sanè sicut illi, qui gemas aurumq; quærunt, non summam tantum terræ cutem leviter stringunt, sed in viscera quoque ejus anxio penetrant nisu ac spiritu: ita etiam illi, qui veram mansuramq; quærunt doctrinam, altius necessum est in elegantissima rarissimæque scriptorum loca ac fensa sese imittant. Sed ad propositum nostrum iterum regrediamur & post datam assignatamq; epistolæ definitionem, varia quoque ejusdem nomina paulisper delineemus. Ubi non possumus, quin gravissimorum Epistolographorum rationibus muniti, liberali asseramus manu, quod Prisci epistolam olim dixerint Litteras, Codicillos, Tabulas ac Tabellas. Litteras quidem ob usum mirifici excellentiam. Codicillos verò ob priscorum consuetudinem, quæ amicos, negotiorum multitudinem obrutos, per litteras conveniebant, eosque ad illustre humanitatis certamen provocava-

vocabant. Obiter hîc notetur, quod Leo Imperator *l. 3. in fin. C. de agentib. in reb. l. 12.* Tabulas illas, quæ notitiarum, dignitatum administrationumque civilium, ut & militarium ac principalium mandatorum, promotionum denique & consuetudinum seriem vigoremque representabant, salutârî Codices. Nec ab hoc fortassis scopo longius digressos videas nonnullos Juris Civilis Interpretes, qui nobilissimum illud argumentum ex *l. unico. C. de nov. Cod. fac.* strenuè urgentes, solidè propugnant, quod Imperialium Constitutionum Tomi *καὶ τῶν βασιλικῶν* Codices quondam fuerint appellati. Aliis hâc vice probationibus, utpote Suetonio, Macrobio ac Cornelio Tacito solennibus, non immorabimur, sed potiùs ad Tabulas ac Tabellas progrediemur. Appellatas verò eas sic colligas ob chartæ membranarumque defectum. Olim enim Isidoro teste *l. 7. Origg.* scribebant boni Veteres in tabulis cereatis, ut hâc ratione modum, prisco ævo usitatum, indicarent. Scili-

B

ceꝝ

cet ex peculiaris fruticis trunco certas
 quasdam per ferrulam tenuiter disse-
 ctas subtiliterque lævigatas conficie-
 bant Tabulas, inq; his, utpote cerâ illi-
 tis, voluntatem suam consignabant, &
 quidem pungendo. Ut adeò iniquus
 sit verborum, Plutarchi stylo filoq; ef-
 florescentium detortor, qui C. Julium
 Cæsarem primum Epistolarum inven-
 torem falsò arguat. Meliori sanè ratio-
 ne nituntur, qui epistolarum origi-
 nem primis literarum natalibus ad-
 scribunt, eamq; quasi coævam cum
 iisdem agnoscunt. Inventis namq; li-
 terarum monumentis, mox quoque
 eximius epistolarum usus propter tot
 pulcherrimos evidentis necessitatis
 fructus copiosissimè effloruit. Accedit
 prætereà, quod epistolarum nomine
 etiam diplomata atq; rescripta Princi-
 pum veniant. Quæ ut à familiaribus
 distinguerentur, Formales appellaban-
 tur. Formales quidem à formando:
 quod in vim legis transituræ majore
 curâ & ferè de consilii sententia sub
 certâ aliquâ formulâ conciperentur,
 ut Torrentius ad Sueton. Domit. c. XX.
 e xpli-

explicat. Græcis ἐγκυκλίς ἐπιστολὰς vocatas, Casaubonus observat. Capitolinus in Antonino simpliciter Formas nuncupat. Nec aliter Jcti procedunt. Sed & Pontificum & Episcoporum Epistolæ, quibus commendant clericos & com meatum iis indulgent, Formatae salutabantur: de quibus vide Savaronium ad Sidonii lib. VII. epist. I. Casiodoro contra *lib. 11. var. epist. 13.* Canonicae audiunt. Canon aliàs erat pensitationis annuæ ac ordinariæ genus, quod in frumento atque oleo persolvebatur, de quo Afconius Spartianus in Severo videndus. Certum quoque modium numerumque frumenti, quò opus esset ad alendam urbem aliquam per annum usum, Canonem dictum; & ita Canonem Alexandrinum: Canonem Constantinopolitanum: Canonem urbis Romæ apud Jctos inveniri Lipsius *lib. 1. Elector. c. VIII.* observat. Sic etiam Canon dici videtur cibus fervorum in unum diem collectus. Cui explicationi Salvianus *l. IV. de Gubernat.*

Dei egregiè adstipulatur, quando ita inquit: Servi, si fures sunt, ad fraudum forsitan egestate coguntur: quia, etiam si eis stipendia usitata praestentur, consuetudini hac magis, quam sufficientia satisfaciunt: Et ita implent Canonem, quod non explent satietatem. Probè hic est observandum, quod epistola canonicalis non dicatur à vitæ canone, quem si quis elegerit, Regularis dicitur; sed à Canone pecuniæ, quam regulariter propter Canoniam exigunt Pontificii. Unde nihil frequentius apud eosdem occurri videas, quàm hanc formulam: *Solve mihi Canonem meum.* id est, *pensionem meam.* Sed satis diu nos detinuerunt variæ epistolarum acceptiones. Tempus nunc erit, ut de charta membranisque aliqua adhuc addamus. Ceterùm de chartæ origine ut & de papyri natalibus nolumus hac vice prolixi esse, præfertim quum minimè nos lateat, quod præter Strabonem, Plinium, Polydorum Virgilium, Guidonem Panzirollum, aliosque multos,

multos, nobilissimam hanc in se suscepit curam Melchior Guilandus, quem cum aliis eruditissimis Scriptoribus consulere poterunt amœnissimarum meditationum sectatores industrii in peculiari illo, quem de papyro conscripsit libello. Nos potius de membranis nunc solliciti, antiquiorem quondam earundem quàm papyri usum fuisse, contra alios edicimus. Et, si forsan sint, qui assertionem nostram in dubium vocare non verecundentur, eos ad Josephi XII. Antiquitates remittimus, in quibus Eleazarus, Sacerdotum Princeps, Sacrorum Bibliorum Codices ad Ptolomæum Philadelphum, primas regni Ægyptiaci habenas tum temporis capeffentem per LXXII. Interpretes misisse perhibetur. Excoriatis videlicet animalibus, è membranis, pelli proximis, aliud scriptioni aptum conveniensque excogitari debuit medium. Quum enim Romanis amicissimus Rex Eumenes (ut eum Cornelius Nepos in Hannibale vocat, quem Plutarchus etiam in Cato-
ne *Ἐὐμένειος* dicere non dubitavit)

papyri ex Ægypto transportandæ desideratâ prohiberetur copiâ; & verò Ptolomæus Philadelphus ob bibliothecam, quam circa id tempus instruere parabat Alexandria, hujus prohibitionis primaria putaretur causa: accidit postea ut Eumenes alium conficiendæ chartæ, Pergamenæ vulgò dictæ, invenerit usum modumq; quem etiam adhuc hodie non infrequentem, totq; saluberrimis necessitatibus reservatum consecratumque videas. Duo aliàs media, quibus animi nostri sensa cum exteris inquilinisq; comunicamus, dantur: Vox nempe & Scriptio. Per vocem videlicet vivi sermonis delicias Veneresque exprimimus omnes. Per scriptionem verò affectum nostrum testamur, ut nimirum eundem, tanquam sanctissimo intemeratæ fidei vinculo stabilitum, laudabili conservemus exemplo. Atque ex hac interioris mentis imagine primum potissimumque epistolarum finem ad nos propagatum deducimus, utpote qui ex gravissimo M. Tullii suffragio, nihil aliud spirat, quam ut certiores facia-

faciamus absentes, si quid sit, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum intersit. Quod si verò specialiter consideratum ipectes Epistolarum finem, non poteris aliter, quin ob varias scribendi occasiones varium ac multiplicem eundem constituas. Nimirum dantur libelli supplices, qui ad nostram usque ætatem servati, in Regum Principumq; aulis adhuc vigent. Quo nomine Augustum Cæsarem olim laudatum novimus, quod salutationibus promiscuis admiserit plebem. Tantâ enim comitate adeuntium desideria, Suetonio teste, excepit, ut neminem unquam, ad exemplum Miltiadis, à vultu suo dimiserit tristem. Quin verecundia ac gravitas alicujus rei non raro exposcit, ut stylum nostrum diversis necessitatibus accommodare cogamur. Scilicet quosdam impedit timor, alios retardat pudor, quò minus desideria sua aliis testata facere, nisi scripto quodam officiosissimo eoque humillimo sufficiant. Hinc fit, ut Magnatum Patronorumque suorum favorem præsentissimo

mo

mo hocce observantiæ documento ambire teneantur. Nec enim solùm inter absentes, sed etiam præsentes Epistolarum usus cernitur maximus. Taceo hâc vice alias inevitabiles necessitates, quæ litterarum ope defungi solemus. Ut è copiosissima segete aliquas saltim hic decerpam aristas, quis nescit, quod epistolæ dentur officiosæ? cui etiam non innotuit, quod præter suasorias, petitorias, nuncupatorias, monitorias, deprecatorias, defensorias, intercessorias, consolatorias, comendatitias, aliasq; infinitas etiam insinuatoriæ dentur? Quomodo itaque officia Tua alteri deferes? Quomodo consolaberis? Quomodo id, quod aliàs impetratum cupis, obtinebis? Quomodo dubitantem in sententiam tuam pertrahes? Quomodo denique aliis Te insinuabis, nisi lumen in Rhetorùm contuberniis Tibi accensum nôris? Certè stupidus stultusque sit, qui sibi litterarum ope ac ministerio speratum ad summorum Geniorum thronum splendidissimum non spondeat accessum, imò gemas pretiosissimas.

mas. Litteræ enim probè excultæ, domi forisq; nobilitant. Hæ fanè, tanquam fidissimæ sermonis mentisq; ministræ, naturalem hominum societatem sanctissimo cultu conservant, fœdera pangunt, pacem stabiliunt, imò omnibus tam in prosperis quàm aduersis rebus constitutis, perfugium atque solatium præbent certissimum. Hæ porrò in Eruditorum tiaris, in Senatorum subselliis, imò in purpuratorum laureis magnificè triumphant. Hæ tandem per Numinum Sacraria, per Regum palatia, per mundi partes secessusq; omnes, tanquam gloriofæ domesticæq; interpretes felicissimo progressu incedunt. Ast quid meridiano soli facem accendimus, iisque probandis incumbimus, quæ per se patent, nec alieno ascititioq; aliquo indigent lumine. Nos potiùs de Summâ dignitate evidentiq; litterarii comercii necessitate non ampliùs ambigentes, ad materiam scriptioni subjectam progredimur.

B 5 CAP. II.

CAP. II.

De Materie definita ac di-
vifa, ut & de præmissis
Epistolæ.

Otiosum fermè erat de Materia hic quicquam separatim mone-
re; præsertim quum tota res medio-
cri saltim constet prudentia, & nemo
propè sit, qui de hâc ipsâ non proli-
xum serat discursum. Intereâ ne im-
memores vivamus præstitutæ legis,
id potissimum hoc ipso capite urge-
bimus, quod commodis nostris aliquâ
saltim ex parte possit inservire. Di-
vifam verò materiem epistolarem
vulgò videas in solennem ac varian-
tem. Solennis præloquium ac clausu-
lam, tanquam duas proprias specia-
lesq; Epistolæ partes sub se comple-
ctitur. Præloquium salutationem
compellationemq; cum officii digni-
tatumq; titulis sub se continet. Huma-
nitatis namq; gratiâ amicos obviosq;
salutamus: (nam Erasmo teste, *comis
ac blanda salutatio amicitiam alit*

RIN.

*augetq̄, inimicitiam contra diluit
ac separat*) honestatis verò urbani-
tatisque nomine eosdem amicis ho-
nificisque compellamus verbis. Et
ex hâc forsan ratione compellatio,
utpote quæ in grandioribus orationi-
bus usurpari consuevit, non vulgare
discrimen inter orationes ac Episto-
las ipsas constituisse videtur, in illis
enim minùs necessaria est conclusio,
quum facilè possit abesse: in his verò
principalem istiusmodi partem con-
stituit, utpote quæ difficulter abesse
queat. Intereà præloquii omissionem,
cum nimirum salutationem compel-
lationemq̄; in principio non apponi-
mus, vel alio, quàm decet modo, ap-
ponimus, proprium Epistolarum esse
vitium, cum Brandolino de ration.
scrib. ep. c. 9. rectè monet Clarissimus
Vir Dn. Jacobus Clauderus in Syste-
mate Epistolico, & ex eo Literatis-
simus Vir, Dn. Georgius Caspar,
Kirchmajerus in almâ Wittenber-
genfi Academia Eloquentiæ Profess.

Publ. in notis suis ad Justi Lipsii Institutionem Epistolicam Philologicis c. 3. Quod salutationem attinet, tunc probè est notandum, quod Ebræorum Magistri cum Græcis, Romanis, Germanis ac Gallis hujus moris nullo tempore non extiterint observantissimi, quamvis diverso stylo. Et quidem Ebræos quod attinet, nemini nisi valdè hospiti in Ebraica literatura incognitum erit, quod illi cum Chaldæis ac Syris Pacem, tanquam omnigenæ felicitatis complexum complementumque in literis suis atquè ipso salutandi opere apprecari soleant. Ab hoc Ebræorum ritu manavit postea piequ; defluxit solennis illa sanctissimorum Geniorum in Novo Testamento ac Foedere toties occurrens salutandi formula, quando dixerunt: *Pax vobiscum* Prima fanè circa fascias Domini ac Servatoris nostri JESU Christi, Angelorum, homines consalutantium vox Pax fuit. Hinc etiam frequens illud Servatoris sanctissimi ad discipulos suos alloquium; *Pax vobis!* Græcis præter τὸ Χαί-

χαίρειν, εὖ διαγείν καὶ εὐπεράττειν
 familiarissima, imò comunissima ea
 fuere salutandi genera, quando dix-
 erunt εὐδαιμονῶν, id est, beatum feli-
 cemque esse; ὑγιαίνειν animo corpo-
 reque esse sanum, subintelligendo
 εὐχστὰι precatur, vel κελύει jubet
 hic vel ille. Hocce salutationis gene-
 re olim etiam defungi voluerunt
 Spartani, quando ad Judæos, & potis-
 simum ad Simonem, Seniores, reli-
 quosq; 1. Maccab. c. 14. incis. 20.
 hunc in modum scripserunt: Der
 Rath und Bürger zu Sparta/ entbie-
 ten dem Hohenpriester Simon/ und de-
 nen Aeltesten/ und denen Priestern/ und
 dem Jüdischen Volcke ihren Brüdern/
 ihren Gruf. Nec aliter fermè se gerit
 Claudius Lysias Actor. 23. incis. 26.
 quando Felicem Præsidem ita alloqui-
 tur: Κλαύδ. Λυσίας τῷ κρατιστῷ
 ἡγέμοι Φήλικι χαίρειν. Ad eundem
 modum Patres primitivæ Ecclesiæ sa-
 cras suas inchoâsse literas, unanimis
 fermè Eruditissimorum ingeniorum
 est consensus. Et huc refert etiam Cla-

rissimus nec non disertissimus Vir,
Dn. Georg. Caspar. Kirchmajerus
 in modo laudatis à nobis notis suis
 Philologicis, affectatam illam Præsu-
 lum Romanorum consuetudinem,
 quâ pacem benedictionemq; Apосто-
 licam auctoritate Divi Petri, Impera-
 toribus, Regibus, Principibus, omni-
 busque filiis dilectis apprecantur. Ro-
 mani equidem parciores, imò simpli-
 ciores in ipso salutanti officio extite-
 re, dum mox una litera S. mox dua-
 bus, S. D. mox tribus S. D. P. mox
 pluribus, S. V. B. E. E. V. votum suum
 religiosum expresserunt, quæ vota
 tamen Ciceronis aliorumq; Veterum
 ævo solennia, inter ritus pridem de-
 mortuos hodiè numerant Literati.
 Germani contra nostri, qui ob virtu-
 tem militarem antiquamque fidem à
 Regibus Principibusque Romanis ad
 custodiam corporis, Tacito teste ac
 judice, semper fuere delecti, in lite-
 ris suis sic præfari incipiunt: **Meinen
 freundlichen Gruß und gehorsamste
 Dienste zuvor: oder; Meine jederzeit
 bereit**

bereitwilligste Dienste nebest allem
 was ich sonsten gutes kan/vermag und
 weiß zuvor/ hochgeneigter Gönner und
 Herr/ &c. Gallos quod attinet, nemi-
 ni dubium esse potest, quod illi, quan-
 tumvis ipsius multiloquentiæ magi-
 stri sint perhibeanturq; vanissimi, ta-
 men in scribendi officio ac munere ita
 religiosè prudenterq; procedunt, ut
 in præloquio epistolarum suarum nec
 titulis luxurient, nec salutandi for-
 mulas præter ritus introductos con-
 suetudinemque jamdiu observatam
 præmittant. Deinde etiam hoc circa
 salutationem non temerè ventis est
 dandum, quod scribentis nomen no-
 mini accipientis, & si multò dignioris,
 olim fuerit præpositum, sicut apertissi-
 ma hujus rei vestigia apud Aristotelem
 ac Plinium occurrunt. Et Aristotelem
 quidem si inspicias, videbis eundem ad
 Alexandrum Magnum passim ita scri-
 psisse? *Aristoteles, Alexandro Regi Sa-
 lutem!* Fallor, utrum etiam Plinium
 Juniorem per hanc ipsam orbitam in-
 cedentem non videas? Is enim quan-
 do ad Trajanum Imperatorem lite-
 ras

ras exarat, semper nomen suum præposuisse conspicitur. Decrescente tamen postea Latinæ linguæ, utpote cujus clave omnium disciplinarum artiumq; fores fontesque aperiuntur ævo, Epistolæ frontispicium paulò alieniorem assumpsit faciem formamque; id quod vel ex unico Cassiodoro collegisse, integrum Tibi erit, apud quem certè accipientis nomen ubique præpositum deprehenditur, sicut ex sequentibus salutandi formulis ordine patefcet, v. gr. *Cassiodoro Theodoricus Rex : Senatui urbis Romæ Theodoricus Rex : Eugenio, officiorum Magistro universisq; Genuæ consistentib⁹ judæis Theodoricus Rex. &c.* Sic Johannes Archi-Præsul Romanus nomen suum nomini Justiniani Imperatoris postposuisse laudatur. Tacemus hâc vice alia exempla in quibus colligendis industriam suam quàm maximè probarunt *Christophorus Heidmannus* in notis suis ad comendatissimam nobis Institutionem Justi Lipsii Epistolicam, *Philippus Horstius*

stius in Epistolographia sua lib. I. *Johannes Voëllus* in libello de rat. conscrib. Epist. *Jac. Clauderus* in collegio ac Systemate suo Epistolico, & *Georg. Caspar. Kirchmaierus* in supra allegatis notis Philologicis ad Justi Lipsii Institut. Epist. directis. Hoc saltem non possumus omittere, quin paucis adhuc addamus, quod modernum nostrum seculum longè diversum à prioribus postulet genium. Hodie enim homines, quibuscum quodidie vivimus, sunt spectandi, atque ad judicia eorum delicata omnes actiones nostrae unà cum scriptione attemperandae veniunt. Profectò atro is hodie notaretur calculo, gravisque inscitiae culpam incurreret certissimam, si quis se superiori, aut etiam pari praeferre sustineret. Adeò regitur opinionibus corruptissimum hoc nostrum seculum, quò post tot dolosa ac perfida fallaciarum omnimodarum argumenta ac documenta, multi hodie candoris simplicitatisque in affectatae decremента persentiscunt innumera! Ast, quid facias, mi homo,

homo, asperrimo difficillimoq; temporis articulo exposita! Ferras itaque omnia eò sereniore mente, nec culpes, quæ mutare jam nequis. Majus potiùs solatium ac præmium in favore DEI constituas: hoc ipso enim ad votum usque erectus, totum immundum facili negotio superare poteris mundum. Atq; sic hæctenus varias salutandi formulas, prisco ævo usitatas, in ideâ breviq; quasi tabella adumbravimus. Nunc superest, ut de compellatione, tanquam alterâ præloquii Epistolaris parte, paucis adhuc agamus. Scilicet illos potissimum compellamus, quos benevolè, honorificè, atque etiam amicè, favoris amorisq; conciliandi gratiâ, alloquimur: jam ab aliis honorum titulis cognomentisq; ordientes. Græci fanè Romaniq; veteres brevitatis gratiâ pro more melioriq; seculi genio solis nominibus propriis fuere contenti: nisi quod verbo unico interdum adjecto Epitheton honoris singularis, magistratùs, aut etiam Imperii expresserint. Procedebant verò omnes tali potissimum modo:

modo: *Aristoteles Alexandro Regi Salutem: C. Plinius Trajano Imperatori Salutem: Caesar Imperator Ciceroni Salutem: Cicero Collega suo Cornificio Salutem.* Ampullis præterea ac sesquipedalibus verbis inscientiam suam non prodidere; præterquam quod unicè charos æstimatosq; salutarent dulcissimos suos atque suavissimos, quandoque etiam animas, sicut ex amplissimis Ciceronis latifundiis copiosissimam messem segetemque huc transportare poterimus. Ita Cicero tanquam legitimus tenellæ filiæ parens optimus, isque facundissimus *lib. 14, Epist. ad Familiar.* Tulliolam, animam suam, & Filium Tironem, dulcissimum suum salutare gavifus fuit. Gnathonica interea, adulationisque veneno infecti ingenii compellatio est ista apud Comicum occurrens, quâ Gnatho Parmenonem Summum suum plurimâ salute imperitari jubet. Tantum enim abest, ut Viri boni in sinuacità quasi gaudeant, si nimium eos laudes, ut potiùs pudore affici-

afficiantur, maximoperèq; indignentur, si modum finemq; omnem in vesano adulandi artificio, quod parasitis aliàs proprium & quasi congenitum esse consuevit, transilias. Probè verò hic expendendum venit, compellationem olim vel à prænومine, vel ab ipso nómine, vel etiam à cognومine, nunc uno tantùm, nunc omnibus simul sumtis peritè fuisse petitam. Prænomen, quod familiæ cuidam præponebatur, fratrum necessariorumq; complurium ~~regimur~~ quoddam sistebat; uti *Cajus, Marcus, Lucius*. Nomen ipsum in familiâ perpetuò durabat, gentilitiumq; dicebatur; uti *Julius, Tullius, Annaus*. Cognomen nomini junctum, variis ex causis casibusq; accedebat, veluti *Cæsar, Cicero, Seneca* Talia Fabiorum, Pisonum, Lentulorum, Nasonum, Capitonum & similia fuerunt. Rariùs agnomen occurrebat; ut *Cn. Cornel. Scipio Nasica: P. Cornel. Scipio Africanus: Q. Fabius Max. Cunctator: Q. Cæcilius Metellus Numidicus*. Nobiliores,

res, & virtutis sanctimoniamq; gloria celebriores, quosque fama illustris in summo laudis posuerat fano, tribus communiter gaudebant nominibus; sicuti hæc omnia peritè observata sunt Claudio, Kirchmajero, aliisque magni Nominis Philologis. Et hæc quidem ratione Veteres Romani in titulis dandis ordinandisque extitere religioissimi. Ast quid de nostra dicemus ætate, ubi titulis tumere squalidumq; incedere, pro singulari quadam prudentiæ laudisque gloria ducitur. Olim quidem doctrinæ solidioris virtutumq; exquisitissimarum merita maturâ circumspiciantq; ponderabantur prudentiâ, nemoque nobilissimus ac clarissimus salutabatur, nisi qui domesticum virtutum maximarum testimonium secum circumferret, ipsoq; facto atque opere illud demonstraret. Hodie verò ne vilissimi quidem Eucliones contenti sunt titulo optimi clarissimiq; viri, quo ipso tamen maculatos olim novimus maximos Germaniæ Italiæq; Principes. Interea ne atro notemur calculo ab iis præsertim, qui nescio quodnam præsidium

dium firmamentumque in variorum
titulorū cumulo ponunt; en Benignif-
sime Lector mentem nostram paucis
sic habe: Tolle nimirū abusum, &
stabit extra satyram omnis honos. Dic
eum illustrem, quem merita, pruden-
tissimis ingeniis unicè nota, fecère il-
lustrem: Nobilissimum, quem Virtus,
Ars aut Mars nobilitârunt; Clarissi-
mum, quem eruditio excellens ad fa-
mæ perpetuò duraturæ fastigium eve-
xit. Aliam verò meas oportet ratio-
nem in illustrissimorum Magnatum
purpurâ adorandâ. Nec enim à veri
cultus semitâ declinabis, quando Im-
peratorem ac Cæsarem nostrum au-
gustissimum invictissimumque appel-
laveris. Multò minùs ex Regum, Ele-
ctorum, Episcoporum, Principum ac
Comitum aulis inauditus discedes, si
humillimo obsequii cultu ductus, Eos-
dem Potentissimos, Serenissimos, Re-
verendissimos, Illustrissimos, Gene-
rosissimos ac Perillustres salutaveris.
Et quî poteris tristissimo vultu dimit-
ti à Rectoribus Academiarum, Can-
cellariis aularum, Legatis, Consilia-
riis,

riis, Professoribus ac Senatoribus, si eosdem Magnificos Excellentissimos, Amplissimos, Clarissimos, celebratissimos ac Prudentissimos nuncupaveris. Abeant itaque incompti illi barbarorum vocabulorum nundinatores, qui literatos, nescio quonam dedecore adspargunt dum eosdem *illuminatos, disciplinatos, scientificos ac discretos* nominant, quasi barbaries illa in Asinaria Plautina forfanata odorem in naribus seruditissimorum Virorum excitet jucundissimum, quum tamen eodem nihil turpius foediusq; detur in litteraria palæstra. Tolle enim è mundo puram tersamq; latinam, & cum fratribus illis ignorantia, Lausañæ quondam comorantibus dic: *Discretionis Vestrae districtè precipimus, ut hoc ipsum, quod sub diluculum intrastavimus, & jam eblatteraliter edicimus, faciatis extemporaliter. Item: Dominationibus vestris habemus aliquid dicere, quod valde placitorū fuerit, si modò herilitates Vestrae post fornacē caminaliter*
 nos

nos non positi erunt; tunc amœnissimorum fructuum loco glandes cum porcis habebis communes. Alia ejusdem commatis exempla, si Diis placet! elegantissima, hâc vice non tangeremus, præsertim quum præter Johannem Gerhardum Vossium in eximio illo de vitiis latini sermonis tractatu, Bebbelium in Pontio, amœnissimi Eques ingenii Ulricus Huttenus in Epistolis obscurorum Virorum illa ipsa facetissimè expresserit. Nos potiùs cum Romanis ac Græcis, utpote qui ad omnem humanitatis, solidiorisq; doctrinæ ac elegantia purissimæ cultû olim fuere compositi faciemus. Neutiquam tamen eorum hæresis nos tenet, quasi vocem aliquam apud Ciceronem ac Terentium non occurrentem, pro barbarastatim exhibilemus. Possunt enim apud Vitruvium, Columellam ac Plinium inveniri, quæ pro peregrinis barbarisq; vocabulis meritò quis habeat? Et quotusquisque Latinos Scriptores omnes legit? aut meminisse saltim omnium potest? Itaque periculosum est de latinitate pronunciare

ciare ex paucis Auctoribus. Et licet unus alterq; non æquè culta politaq; oratione fit usus, latinè tamen plerique sunt loquuti. Aliud enim est parum eleganter, & aliud non latinè loqui. Certè de latini sermonis egestate ipsi Latini jam tum olim fuere conquesti. Nimirum, sicut Veteribus olim nemo vitio potuit vertere, quando propter inopiam veterum nova excogitârunt vocabula; quur & nobis aliisque latinarû literarû cultui benè precantibus, in simili casu, ubi necessitas id suadet, non conveniat *ὀνομαστικῶς*, modò sermoni latino sua lex atque indoles constet? Intereà ingens intercedit discrimen inter Orationem, Epistolam, ac Dissertationem. In Oratione enim ac Epistola seria doctaq; nitor ac lux, imò majestas quædam requiritur. In Dissertatione vero, ubi disciplinæ ac institutionis tantùm res agitur, non æquè curatur, utrum in floridos Oratorum campos Te immittas. sed sufficit, si modò emendatè ac latinè animi tui sensa promere sufficias.

C Quod

Quod si verò tantâ *μαρ'ρνοια* sic instructus, ut florido sermonis genere discursum Tuum vestire valeas, tunc eruditi, & qui justum pretium solidæ mansuræq; doctrinæ statuere didicerunt, pro ignorante aut bubulco neutiquam te habebunt, sed in majore honore venerationeque apud eosdem versaberis doctrinâ Tuâ, utpote quam vigili pertinaciq; labore partam nôsti. Atq; hæc sunt, quæ de materie Epistolarum definita ac divisa, ut & de præmissis Epistolæ monere placuit. Missa itaq; materiæ epistolaris divisione, rectâ nunc pergimus ad clausulam.

CAP. III.

De Clausula, ceu genuino Epistolarum Fini; item de Signo, aliisque necessariis multis ad clausulam confirmandam pertinentibus Rebus

Terminus tandem constituendus erat epistolæ ritè recteq; finiendæ. Ut enim à Salutatione primordium nostrum ducimus; ita etiam clau-

clausulâ seu votô obfirmamus mentis nostræ testificationem ingenuam. PLENUS itaq; officii humanitatisque sit Epistolæ Tuæ finis. Hoc enim pacto obtinebis, quod imperatum aliàs cupis. Jam verò ex tot fidedignis Epistolographis fatis superque liquet, quod quinque vulgò solennia circa clausulam ipsam veniant observanda; nempe I. Valedictio, II. loci adjectio. III. Temporis delineatio. IV. Inscriptio seu subscriptio, & deniq; V. Titulus ipse seu superscriptio. Valedictionem primò repræsentet Epistola Tua, ut hac ratione mores Christiano homine dignos non exuisse, sed eosdem potiùs vivo laudabiliq; exemplo reapse demonstrâsse videaris. Olim certè expressa cernebatur clausula, simplici illo verbo *Valè* donata. Fluebat verò illa ex antiquissimo sermonis ritu, quo abeuntes sibi invicem benè precabantur. Hinc Ovidius immortalis felixq; illa Pelignæ gentis gloria lib. V. Trist. ingeniosè ita canit:

C 2

Ac-

*Accipe, quô semper finitur Episto-
la verbô,*

Atq; meis dislent ut Tua fata, Vale.

Quod si quis Veteres nostrosque Lati-
nos inspiciat, nihil frequentius apud
eosdem inveniet, quàm vulgaria illa
verba defectiva, VALE, AVE, SALVE.
Hæc verò ornabantur interdum venu-
stis quibusdam vocibus: Ut: *Vale dul-
ce decus atq; Præsidium meum: Æter-
num vale atq; salve seculi nostrî Ne-
stor. Vale, & si mereor, favere perge,
Tibi virtutibusq; Tuis addictissimo
clienti: Vale, Patrone maxime, &
me inter cultores Tuos numera.* In-
terdum voto pro salute tranquillitate-
que Imperii concepto claudabantur
obsignabanturq; hunc in modum: *Diî
Deaq; TE servent: Vivendo superes
matturos Nestoris annos: Vale atq;
vince.* Græcis equidem nihil solennius
est, quàm notissimum illud ἐὶ ῥῶσο,
cui in fine, quantumvis rariuscule sub-
jungebant τὸ χαιρεῖν. Addebant præ-
tereà clausulæ appendicem aliquam,
quâ

quâ ceu flagrantiore affectus indice
 moti, in calce Epistolæ ita scribebant:
 Ἐῤῥῶσο τιμιώτατον κἀρα; *Vale*
pretiosum amicumque mihi caput!
 Apostoli in N. T. laudando certè modo
 rituque fidelibus apprecabantur om-
 nibus χἀρειν καὶ ἐιρήνην τῷ κυρίῳ
 Ἰησοῦ χριστῷ ἐν ἀγίῳ πνεύματι. Ebræi
 quomodo in valedictionibus suis pro-
 cedere soliti sint, & adhuc soleant, post
 alios multos accuratè docuit Clarissi-
 mus Vir, *Dn. Johannes Buxtorfius*
 in lib. de conscribendis Epistolis Ebrai-
 cis, & post illum Ebraicarum littera-
 rum peritissimus; inque omni scibili
 versatissimus Vir, *Dn. Johannes Chri-*
stophorus Wagenseilius, Jctus exi-
 mius, & Jur. Publici Linguarumque
 Orientalium in illustri Altdorffina
 Prof. celebratissimus in Prælectioni-
 bus suis Publicis laudatissimi hujus ri-
 tus morem ingenuè est professus. Ci-
 cero, qui Plinio teste, extra omnem
 ingenii aleam erat positus variis vale-
 dicendi formulis dives incedit. Inter
 alias multas, sequentes hæc creberri-

mè solet adhibere, ut: *Etiam aique etiam vale: Da operam ut valeas: Valetudinem Tuam diligentissimè cures velim.* A quibus etiam loquendi modis ac formulis nostrum seculum non penitus abhorret, quamvis instar pii simplicisq; voti pro personarum, temporum ac negotiorum ratione iisdem utatur, De Germanorum nostrorum Epistolis germanicis, ut & de clausulis in foro eorundem usitatis consulantur præter Martinum Zeillerum, Nobilissimus ac Perstrenuus beatissimæ memoriæ Vir, Dn. Georg. Paul. Harsdörferus cum aliis innumeris Aularum, Rerum publicarumq; Secretariis gravissimis, iisque meritissimis, & quotidie præclarius adhuc hodiè merentibus.

Valedictionem excipit jam secundo loco, loci ipsius adjectio, quæ à scribente hodiè ex ea ratione addenda, ut appareat, ubinam locorum exarata sit Epistola tua. Potest verò locus sub urbis, prædii, arcis ac musei nomine venire. Sic scribimus ex urbe, ex prædio
hoc,

hoc; vel illo, item ex musèo nostro. Damus itidem in hac vel illâ urbe, in prædio hoc vel illo, in arce, in musèo, & sic porrò. Quod urbium celebriorum nomina attinet, dubito, utrum omnibus literarum amantibus satis superque non liqueat, quod pluralia per ablativum sine præpositione nullâ ponantur. Ut: *Dabam seu scribebam Venetiis, Ursellis*; singularia verò nunc casu sexto, nunc altero formantur: Ut: *Scriptum Noribergæ, Augusta Vindelicorum. Argentorati, Ratisbonæ, Ambergæ. Vel: dabantur Altdorffio, Jena, Erfurto, Tübinga, Heidelbergæ, Hamburgo, Rinthelio.* Aliud namq; apud bonos veteres fuisse scriptum, & aliud datum, in confesso est. Hinc pluribus sæpe numero diebus scribebatur ante, quàm ipsæ dabantur literæ.

Tertiò etiam delineatio seu adjectio temporis, diei præsertim & annorum non temerè erit seponenda. Et certè optandum esset, ut defectum hunc Majores nostri sustulissent, tunc

profectò multa clarissimo soli expo-
 sita cernerentur, quæ hodiè à peritis
 Criticis vix ingentibus eruuntur labo-
 ribus. Interim tamen ut posteritati
 consulatur, non incongruum erit, si
 quis in scriptis suis, quæ maxima re-
 rum momenta concernunt, annum
 adjecerit, ut hoc pacto is, cui scribi-
 mus, tam de præsentis negotio, quam
 aliis rebus, eò citiùs faciliusq; judica-
 re possit. Aliàs temporis dierumq; ad-
 scribendorum ratio hodiè variat. Da-
 tur enim vel vulgaris, vel Romana.
Vulgaris computandi ratio omnibus
 fermè hominibus ex fastis seu calenda-
 riis est notissima, & est, quando diem
 simpliciter ponimus, eumque à prin-
 cipio cujus mensis ad finem ejusdem
 deducimus. *Paulò elegantior est Ro-*
mana, quæ ex eo etiam capite episto-
 larum latinarum, dissertationum, car-
 minum ac tractatum eruditorum
 usibus propria ac perpetua conserva-
 tur, inq; omnium fermè Epistologra-
 phorum Grammaticorumque libellis
 occurrit. Olim quidem vetustissimi
 mortaliù statim ab ipso mundi exor-
 dio

dio supputarunt annos, Et quidem
Ebræorum Magistri per solennes E-
 pochas: *Græci* per Olimpiadas: *Athe-*
nienses speciatim per suos Archontas:
Spartani per Ephoros: *Romani* pri-
 mum ab urbis conditu; deinde à Con-
 sulibus ac Magistratibus: *Christianâ*
 verò à nato mundi Servatore, Domi-
 no nostro Jesu Christo; sicuti hæc o-
 mnia Excellentissimus vir, Dn. Geor-
 gius Casparus Kirchmajerus in doctif-
 simis suis plus vice simplici à nobis al-
 legatis notis philologicis cordatè re-
 fert. De horis, quas Augustus Impera-
 tor quibuslibet literis, imò diei no-
 ctisq; momentis addidit, hoc est no-
 tandum, quod propter majorem tem-
 poris internoscendi certitudinem,
 quin etiam alias ob causas consuetudo
 hæc invaluerit, quæ tamen pro tem-
 pore & re potest æstimari.

Sequitur jam quarto loco *Subscri-*
ptio, quæ cum aliquâ honoris obser-
 vantiaq; significatione multifariam
 exprimitur. Priscis quidem tempori-
 bus, ea fuit neglecta; ast hodiè neces-
 saria

faria fermè est formula. Quomodo enim magnorum Geniorum favorem Tibi parabis, nisi dixeris, Te devotissimum eorundem esse servum. Jam vero illis propriè devotos nos fate-mur, quibus omnem salutem no-stram, imò vitam fortunamque debe-mus. Ad hanc classem pertinent nunc præter supremum Numen, res sacræ, imo majestas Principis, Parentes no-stri, ac deniq; patria ipsa.

Tandem *inscriptio seu titulus* ulti-mum præter ceram ac signum toti E-pistolicae structuræ adsignat comple-mentum, Est autem *titulus* pars epi-stolæ posterior ac remotior, quæ ejus-dem exaratae complicataeque jam, imò ob-signatae superadditur tergo. Adhi-bebant hunc quidem Veteres, sed ut Clauderus & Kirchmajerus ex anti-quitate referunt, rarò. Mittebant enim plerumque literas per pueros tabella-riosque notissimos, qui easdem postea in remotiora loca, ne confusio inde oriretur, deferebant. Quod si forsan du-bium aliquod Tibi subrepat, quomo-do in titulis formandis procedere de-beas,

beas, en consilium nostrum, quod hic
 Tibi damus, æqui bonique consule
 Nosti enim, quod Viri boni tacite qua-
 si indignentur, si nimum eos laudes,
 aut ambitiosis titulis oneres. Ut ita-
 que omnem adulationis indignatio-
 nisq; culpam prudentissime avertas:
 parce, quæsumus, doctissimorum vi-
 rorum auribus tenerrimis, nec titulos
 iisdem debitos dudumque receptos,
 denega aut eripe. Sanè sine risu non
 possumus interdum adspicere elegan-
 tias illas in cerebellis stultissimorum
 hominum fabricatas, quando ita scri-
 bunt: *Præceptorî famosissimo: Illu-
 minato ac superscientifico Domino:
 Provido ac discreto Magistro: Viro
 in omnî scibili profundissimo: septi-
 formi studiorum lampade radiantè
 Viro: Eloquentia floribus purpurato
 Dn. Professori: Literatoria militiæ
 prodromo ac cingulo stipato Dn. Can-
 didato.* Quid enim ineptiæ hæ aliud
 produnt, quam summam inscitiam,
 rusticitatem, & nescio quàm inaudi-

tam dementiam. Subjici quidem titulis peregregiè novimus, quònam deferendæ sint epistolæ, idque uno verbo non rarò solet fieri, & quidem in casu quarto: *Ut Ratisbonam, Brunsvigam, Wittebergam, Lipsiam.* Flosculos autem illos malè natos inq; culina Pacuvii collectos: *Ad proprias manus hæ advolent literæ: Familiariter dilecto amico meo ad manus veniant exemplaranea hæ literæ,* & id genus pueriles ineptias abesse ab epistolis penitè jubemus. Quib⁹ profectò qui literas ornare consuevère, illi nihil aliud quàm turpissimam ignorantiam demonstrant, cum in ipso statim limine pueriliter impingant. Sed ne de obfignandis literis omnem prorsus abjiciamus memoriam, Augustum Imperatorem in exemplum adduxisse, hac vice erimus contenti. Is enim in libellis ac epistolis signandis initiò Sphynge est usus; mox Alexandri imagine; novissimè sua, Dioscoridis manu sculpta, quâ postea signare ceteri Principes continuârunt. Signa verò ista figuras
ani.

animalium repræsentâsse, ex insignibus gentilitiis apparet. Nimirum antiquissimo horum usu veteres Ebræi indicare voluerunt gentis familiæq; distinctionem: per singulas enim tribus vexilla propria fuisse distincta, multis eruditis Viris est observatum. Sic vexillum Ruben figuram hominis olim repræsentabat; Judæ Leonis; Ephraim bovis; Dan aquilæ; Benjamin lupi; Naphtalin cervi. Quibus quidem imaginibus Patriarcha Jacob Genes. 49. liberorum sortem familiasq; describebat. Nec inolevit hic mos postea a quod varios populos, sed provocavit potius eosdem ad alia signa eligenda. Sic *Turca* lunam; *Persæ* arcum ac pharetram; *Thrace* Martem usurpare historica fide perhibentur. Ut taceam hæc vice Monarchas nostros Christianos. Quis enim nescit, quod *Galli* lilia, utinam tamen Christiano orbi odorifera! *Angli* rosas; *Sueci* cum Potentissimis Brunswicensium ac Lüneburgensium Ducibus leones, & alii alia in signis suis exhibeant animalia, De Wittekin-

do memorat aliàs Crantzius in Saxonia suâ, quod insigne ejus primò fuerit pullus equinus, & quidem ater; postea verò ubi incipiebat profiteri religionem Christianam, candidus. Egregio mehercule exemplo! Utinam & alii in arduo religionis negotio generosissimum constantiæ Zelum, albissimo Pietatis colore tinctum, reapse demonstrarent, tunc tot jurgiis ac dissidiis lacera aliàs Christi tunica non adeò discerpta hodiè pessimo fermè exemplo conspiceretur. Ast quid facias, mi Christiane, in re, æternam salutem concernente, quam ad feliciorum exitum sagacitate Tuâ perducere nequis, Deo potius commendes tot Monarcharum animos, ut sanctissimo pacis Ecclesiasticæ glutino copulati, auream tandem æternamque pacis beatissimæ amplectantur olivam. Sic tandem fallacibus fallacis hujus vitæ laqueis extricati, æternis aliquando perfundentur gaudiis, nunquamq; finientum in cœlesti aula agent triumphum. Quam felicitatem, utpote nullis temporum

porum metis, nulloque beatitudinis modo circumscriptam, omnibus sinceris pressisque; Christianis suo tempore ex intimis pectoris mei fibris religiose voveo. Faxit Deus, ut bonis omnibus felicissim' formosissimusque; hicce dies opinione citius eveniat, malis contra, omnem peccatorum veterum non excutientibus, maxime terribilis appareat. Ast in viam iterum redeamus & de ratione obsignandi Epistolas aliqua adhuc addamus. Notum aliàs est, quod *Galli* regias publicasque; literas farina macerata, (quam pastam illi vocabant) olim obsignarint. Ast hodie omne ferme negotium cerâ solet absolvi. Ubi non possumus, quin ritus nonnullos circa ceram ipsam observari solitos, paucis adhuc indicemus. Et primò quidem, quod varius ceræ color in epistolarum signis nullo tempore non fuerit observatus. Hoc verò factum partim propter dignitatem ordinis, partim propter multas alias peculiare rationes, quas hic non adeò operose examinabimus, sed potius sanctio

sanctioribus Aularum Rerumpublicarumque Consiliariis easdem dijudicandas relinquemus. Sic cera viridi *Pontifices*, aut flava *Reges* in obsignandis literis publicis usos fuisse, auctor est Franciscus Sylvius Commentar. in gravissimà elegantissimâque illa Oratione pro L. Flacco ad M. Ciceronem. Adeò à ceræ qualitate excellens literis accessit auctoritas, ut si eæ cera nigricante, aut rubra forsan obsignatæ essent, pro corruptis statim fuerint habitæ judicatæque. Hodie massulæ orbiculares, & quidem virides, rubræ, item albæ in communi apud Germanos sunt usu. Sic etiam solida ista atque dura Hispanica massa, quæ admoto igne facile potest dissolvi, non inolevit, sed singulis momentis à publicisq; hominibus ad usus valdè proficuos adhibetur. De cera miniata, quam vulgo *roht Wachs* appellare solemus, variæ hodie circumferuntur significationes, quarum præcipuas hic saltim delibabimus. Sic Cicero Atticè censuram olim de libris suis verens libr. XVI. in Epistol. ad Atticum XI. ita eum alloquitur: *Nostrum*

strum opus Tibi probari, lator, quæ enim florentiora mihi visa sunt, retinui; quæ non, deleui: cerulas enim tuas miniatulas valdè extimescebam. Scilicet eruditi Critici olim illa ipsa, quæ in perlegendis libris suspecta, dubia, aut improbata occurrebant, notis quibusdam signare solebant. Affigebant verò his ipsis frustulum aliquod è cera miniata; sicut referunt *Salmasius* in *Exercitationibus Plinianis*, & *Angelus Politianus* in *Miscellaneis CLIII.* *Juvenalis* contra *ceras* non pro censura aliqua rigida, sed pro imaginibus cereis, quæ nobilitatis quondam insignia erant illustria, posuit. Ita enim *Satyra VII.* heroico spiritu plenus metri sui legem orditur & simul absolvit, quando inquit:

*Tota licèt Veteres exornent undiq; cere
Atria, Nobilitas sola est atq; unica Virtus.*

Nempe, quia imagines istæ ex cera erant simulatæ, plastico forsan opere easdem appellavit imagines. Aliâ ratione

tione Statius in operis sui Poëtici sylva extrema dixit ?

--- *Apelles cuperent Te scribere
cera,*

id est : si Apelles adhuc hodiè viveret, mirificè sine dubio desideraret, quomodo vultûs Tuos ad vivum usque exprimere valeret : pro pingere enim seu exprimere Græcorum more Statius posuit scribere. Ast neque ibi ceræ pro coloribus ponuntur : hos enim discolors habebant pictores : hinc ceras inducebant insternebantq; postea tabulis, ad exprimendum nimirum id, quod vellent. Eas ceras inurebant postea admoto igne, lævigabant porrò easdem atque exaquabant : ex quò opera hujusmodi nuncupabantur encaustica. Accedit, quod veteres testamenta olim in cereatis seu cera illitis scripserint tabulis. Quo nomine etiam cera aliquando pro ipso ponitur Testamento. *Sic in imâ cerâ aliquid scribere*, Suetonio idem est : *ac in ultima Testamenti parte paginaq; aliquid consignare*; contra primæ

mæ duæ ceræ, primæ duæ vocabantur
 paginæ, sicuti pluribus de hoc ipso ne-
 gotio videri potest Clariss. Dn, Salma-
 sius in eruditissimo illo de usuris mo-
 disq; earundem Tractatu. Nec cerâ
 solùm contenti fuere Antiqui, sed cre-
 ta quoque in publicis privatisque lite-
 ris usi sunt Romani. Hanc vero, ceræ
 loco usurpatam, & ex hac quoque ra-
 tione signatoriam fuisse, meminit Vi-
 ctorius. Clarissimus ac disertissimus
 quondam beatissimæ memoriæ Vir,
 Dn. Christophorus Heidmannus, Elo-
 quentiæ olim in illustri Julia, postea
 in Academia Sorana Professor Regius
 isq; celeberrimus, Pontano præcento-
 re, mentionem facit cretæ hujus Asia-
 ticæ in notis suis ad Justi Lipsii Institu-
 tionem Epistolicam elegantissimis,
 & dicit, quod materia hujus cretæ
 fuerit argillosa, candida ac tenax,
 magno olim pondere ex Asia Romam
 missa à publicanis. Quicquid sit, si-
 ve cera, siue creta, siue lino obsigna-
 verint Prisci Epistolas suas, hoc tamen
 ex Romana Historia neutiquam est
 dissimulandum, quod *mancipiorum*
 etiam

etiam *pedes* olim signati fuerint istiusmodi creta Asiatica, & quidem si aliquod ex mancipiis istis privatam solitariamq; ageret vitam, fiebat id sigillo Heri; sin verò illud ipsum in publica luce constitutum se scriret, Reipublicæ insigni. *Lino* etiam porrò obsignârunt Veteres Epistolas suas. Fuit autem linum tenue filum vinculumq; ex subtiliore lino contortum, quo Epistolæ obsignabantur, ac postea signum ipsum iisdem imprimebatur. Hoc inciso literæ etiam iterum resignabantur. Hinc Romanus Consul 3. Catilinar. Orat. graphicè inquit: *Tabellas proferrè jussimus, linum incidimus, ac postea legimus.* Modum obsignandi veterem, quò tam in publicis quàm privatis literis defungi voluerunt Prisci, eleganter describit Paulus, magnus ille excelsi nominis Jctus, quando I. V. sententiarum t. XXV. ita incipit finitq; discursum suum, dicendo: *Amplissimus ordo decrevit, eas tabulas, quæ publicæ vel privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus*

*testibus ita signari, ut in summa
 marginis, ad mediam partem perfo-
 rata, triplici lino constringantur,
 atque impositum supra linum, cera
 signa imprimantur, ut exteriores
 scripturae fidem interiori servent;*
*aliter enim tabula prolata nihil mo-
 menti habent.* Et quidem auctor hu-
 jus formæ Neronianis temporibus fuit
 Senatus Romanus. Inventum autem
 potissimum *linum* adversus falsarios,
 ne tabulæ, nisi pertusæ, ac ter lino, per
 foramina trajecto, obsignarentur; si-
 cut hæc & alia multa de lino inventa
 Brissonius in formulis suis exhibet,
 & ex eo Clariss. Kirchmajerus in su-
 præ laudatis notis Philologicis ad Justi
 Lipsii Institut. Epistolice directis.
 Olim Isidis Sacerdotes ex lino contex-
 tas habebant vestes; unde Linigeri à
 Martiale vocantur. Lanam enim &
 Orpheus & Pythagoras profanum ve-
 stitum judicârunt, ut est apud Apule-
 jum in Apologia, in quo Gentes Ju-
 dæos videntur æmulatæ, apud quos
 summi DEI scitis *Lineæ* vestes, sacra
 ac

ac sacerdotibus erant propriae. Sed hæc
 ἐν παρόδῳ. Nos potiùs à cœpto mō-
 dō discursu regredimur ad anteriorem
 meditationem, & miramur, quod
 Prisci tam religiosi olim extiterint in
 complicandis obfignandisque literis
 suis. Nam prolixiores Epistolas quon-
 dam in orbem quasi volvebant, & quæ
 ultima scriptæ epistolæ facies erat, ad-
 debatur primæ, & quæ prima paginæ
 pars erat, involvebatur ultimæ; adeò
 ut unica interdum Epistola totum
 conficeret volumen. Quin etiam inde
 non leve admirationis signum propul-
 lulat, quod in antiquorum Curiis du-
 plex quondam datum oblatumque fit
 signum: nempe privatum ac publi-
 cum. De privato passim in Historiis bo-
 nisq; Scriptoribus fit mentio. De pu-
 blico verò meminit Cicero in Orat.
 pro Quint. ac Dejotaro, quando in-
 quit: *quod Senatus judicia publicis
 literis monumentisq; extare debeant.*
 Hinc *Signatores* Romanis olim erant
 testes, qui tabulas vel Testamentorū,
 vel nuptiarū, vel cujuscunq; alterius
 nego-

negotii subscribebant & obsignabant. *Designatores* contratales erant homines, qui funerum pompæ constituendæ præerant, unicuique locum ordinemq; præscribentes. Ast *Resignatores* erant obsignatarum rerum apertores. Unde Veteres, si quid paraverant rerum, condere id atque obsignare solebant, ne quid aut negligentia aut furto periret. Quum itaque resignanda essent ejusmodi clausa ac condita, cum iisdem vellent uti; idcirco resignari dixerunt ea, quæ aperiebantur aut reddebantur, aut quorum usus jam tum aliis iterum concedebatur. Sed nolumus in apertissima luce ampliùs cœcutire, eaq; inculcare, quæ jam tum omnibus sine dubio innotuerunt dudum. Missa itaque Materia solenni, pergimus nunc ad variantem.

CAP. IV.

De Materie Varia, ejusq;
Sectione.

HActenus detinuit nos Materia solennis, quam mediocri prudenten-

dentiâ temperatam nullo tempore
 non offendimus. Nunc Materia varia
 ad Regum , Principum , Rerum publi-
 carum, ut & doctissimorum Virorum
 palatia, curias ac contubernia nos du-
 cit remittitque. Pertinet verò ad hanc
 occasio & causa scribendi, quæ multi-
 plex est, nec minùs latè patet quàm
 hæc ipsa vita. Quid enim rei divinæ ac
 humanæ est, quod non sermone com-
 municamus? Quid frequentius occur-
 rit, quàm eximius inter præsentis ab-
 sentesque sermonis literarii usus? cu-
 jus certe tantus hodiè tamq; evidens
 lætusque ubique locorum efflorescit
 proventus , ut non unius duntaxat
 gentis, sed totius propemodum huma-
 ni generis commercia , arcano quo-
 dam ac fatali quasi vinculo uniat con-
 nectatque. Amplectamur itaque for-
 mosissimam hancce Divam eò fervi-
 diore spiritu , nec prius eam dimitta-
 mus, quàm si mactatos nos dimise-
 rit basiis gazisq; suis splendidissimis ,
 inq; omne ævum duraturis. Ut verò, ò
 Amice Studioseq; Lector, diffusam
 materiem legitimis coërceas terminis
 en ad

en ad generalem hanc distinctionem ab objecto fineq; suo potiori desumptam, irretortos reflecte oculos. Hoc enim pacto serias doctasq; epistolas à familiaribus discernere crescente discas judicio. Sic seriæ Epistolæ vulgò audiunt illæ, quæ in publicis privatisq; negotiis occupatæ, omnia illa quæ tractant, singulari cum cura pertractant. Ad has ex publicis procurationibus referuntur, iudice Lipsio, *Narrationes, Dissertationes, Deliberationes de statu rerum, de militia, item de pace:* Ex privatarum verò rerum cancellis septisq; *Consolationes, Admonitiones, Petitiones, Objurgationes, Excusationes, Suasiones, Laudationes;* & quicquid paullò magis seriò scribimus. Quo nomine pro fine suo mox actionem, mox cognitionem habent. Sic *actionem* proponunt sibi literæ illæ, quæ committendum aliquid aut omittendum suadent: quod aliàs generi deliberativo, (quod ex hac ipsa ratione *βουλευτικὴ* nuncupârunt, dum in suadendo ac dissuadendo occupatur)

D

tur)

tur) proprium esse consuevit. *Cognitionem* verò illæ spectant litteræ, quæ in laudando ac vituperando consistunt, suntq; generis demonstrativi. Sic laudantur vel vituperantur I. Personæ, II. Facta, & III. Res. Hinc videbis omnem laudem vituperationemque ad honestum & turpe referri. Sub honesto præcipuè comprehenditur virtus, eaque omnia, quæ cum virtute conjuncta sunt præclara animi bona. Sub turpi contrà numeratur vitium, eaque omnia, quæ cum vitio conjuncta sunt pessima animi mala. Argumenta, quibus vulgò laudamus aut vituperamus facta, item virtutes ac vitia, sumuntur ex utili, honesto & jucundo; ex inhonesto contrà, inutili & molesto vituperamus facta mala ac detestanda. Quod Genus deliberativū attinet, tunc nullus alius deliberationi propositus est finis, quàm *felicitas*. Ad hanc enim deliberationes omnes tanquam ad scopum ultimum collineant. Jam verò Felicitas est successus cum virtute ipsa conjunctus. Partes
ejus

ejus sunt omnia illa bona, quæ vel in ipso homine, vel extra eundem deprehenduntur. *Duplex* aliàs datur *deliberatio*, publicà nimirùm & privata: *Publica* occupatur circa res publicas: *Privata* circa res privatas. Sic de publicis rebus deliberationes habentur, quando de bello ac pace, de ferendis legibus, de custodiâ regionis, item de pecuniis parandis deliberamus. De privatis rebus quomodo deliberare soleamus, quotidiana docet experientia. Et sic à feriis ad doctas progredimur Epistolas: Hæ verò sapientiam, eruditionem ac doctrinam principali suo scopo fineque agnoscunt. Tales nunc sunt vel Theologæ, vel Juridicæ, vel Medicæ, vel Philosophæ, vel Politicæ, vel Historicæ, vel Philologæ. De singulis ordine. Theologæ dividuntur in divinas & humanas. *Divinæ* in sacris Pandectis occurrentes sunt Epistolæ Paulinæ, Petrinæ, Johannæ. *Humanæ* sunt Epistolæ Patrum, ut Augustini, Hie-

Hieronymi, Cypriani, Basilii, Gregorii utriusque; item Pontificum ac Theologorum recentiorum, quæ consiliorum rem nomenque exhibent. *Juridica* in quæstionibus expeditisq; per literas responsis judiciisq; occupatæ, prudentissimorum Virorum æquitati totam rem committunt. Huc non iniquè cum Amplissimo Dn. Kirchmajéro revocaveris Epistolas illas, quæ statum forumque publicum regendum concernunt; cujus generis magnam messem metere licebit in Codice Justinianéo, & apud Cassiodorum. Nec *Medicæ* omninò sunt prætereundæ, quales apud Hippocratem ad Democritum & alios occurrunt exaratae quamplurimæ. Similiter & *Philosophorum* non exiguū numerum apud Senecam ac Platonem invenies. Sequuntur jam *Politica* & *Historica*, quarum arcana Hugo Grotius, Christophorus Forstnerus, Boxhornius, Marnixius, Hermannus Conringius & Busbequius toti literato orbi dudū communicârunt. *Philologica* tandem non

non excludendæ veniunt. Hæ verò in
amœnioribus studiis locisq; bonorũ
Scriptorum vindicandis occupantur,
sub quarum censu Varronis quæstio-
nes Epistolicas olim numeratas fuisse,
ex doctissimorũ Virorum, præsertim
Barthii monumentis literatissimis li-
quet. Tandem etiam Familiarum ami-
corumque nostrorum res non insuper
sunt habendæ. Quæ enim quotidiana
ac domestica non libenter tractemus?
Olim certè populus Romanus uni-
versi orbis principatum nullo alio ti-
tulo sibi asseruit, quàm invictà purè
loquendi virtute. Æmulemur itaque
& nos gloriosissimam hanc gentem,
nec vocabula illa, situ squaloreq; oc-
cupata, consecremur. Memores po-
tuis vivamus Gellianæ illius sententiæ,
semperq; in memoria atque pectore
circumferamus stricturam illam lau-
datissimam, ut tanquam scopulum in-
audita atque insolentia fugiamus ver-
ba. Sic non solùm à Magnatibus, sed
etiam à Patronis amicisque nostris li-
benter audiemur. Et sic limitibus Ma-
teriæ variæ constitutis, pergimus ad

media Epistolographo necessaria, quæ
in sequenti delineabuntur capite.

CAP. V.

De mediis Epistologra-
pho necessariis.

Missis generalibus præceptis ad
specialia nunc felicissimo devol-
vimur pede. Ubi non possumus quin
præcipua Epistolarum momenta deli-
neaturi, sub ipsum statim capitis hujus
initium moneamus, quod in Epistola
æquè atque in oratione Rhetorica pri-
mum per Inventionem excogitandum
veniat, quidnam sit scribendum: Dein-
de fideliter curandum ut inventa ritè
congruenterq; disponantur: Denique
etiam elaborandum, ut omnia secun-
dum artis præcepta disposita, verbis
sententiisque aptis ac convenientibus
exprimantur. Hinc tria emergentia
vulgò cernas media; nempe I. Inven-
tionem, II. Dispositionem, & III. Elocu-
tionem. *Inventio Epistolæ* est prudens
earum rerum, quas scribere paramus,
excogitatio. Hujus certè objectum
tãna

tàm latè patet , ut vix universæ natu-
 ræ limitibus circumscribi queat. Quis
 enim omnes scribendi occasiones e-
 numeraverit ? Acquiritur autem in-
 ventio multarum rerum usu sive ex-
 perientià : juvatur ingenio facili, ac
 perficitur iudicio gravi; adeò ut illa
 ipsa non tàm artis quàm prudentiæ sit
 operatio excellens. Vulgò ad objectũ
 inventionis oratoriæ requiruntur. I.
 Res, quia nimirum ex nihilo nihil fit,
 aut saltim scribendo fingitur. Hinc
 crebra illa inter amicos exploratissi-
 mos de nullo scribendi argumento e-
 mergit excusatio. II. Voces nitidiores
 maximeq; selectiores quippe quum o-
 mnis eloquentiæ origo sit delectus ap-
 paratusq; vocum elegantissimarũ exi-
 mius. Quanquam imitanda hic magis
 quàm æquanda veniat majestas orato-
 ria III Propositiones nervosæ, item me-
 morabiles sententiæ, & apophtegmatũ
 acuta. IV. Argumenta verisimilitudi-
 nem aliquam probationum verisimil-
 limarum habentia. V. Amplificationes
 affectuumq; commotiones ex opinio-
 ne boni aut mali, vel præsentis vel fu-

turi existentes, in quibus acris incitatusque aut ad voluptatem, aut ad cupiditatem, aut ad molestiam metumque deprehenditur sensus: quales amplificationes affectuumque commotiones in adhortatoriis, commendatiis, consolatoriis, deprecatoriis, exprobratoriis, gratulatoriis, intercessoriis, reprehensoriis, suavoriis & valedictoriis occurrunt. Sequitur jam alterum Epistolice Artis medium, quod post inventa argumenta *Dispositio* sistit. Hæc est principii, medii ac finis congrua positio. Estque illa duplex: Artificialis nimirum, & arbitraria seu vulgaris. Artificialis juxta artis Rhetoricæ præcepta componitur ac conformatur. Hæc potissimum in maximi momenti rebus utimur; quales sunt res religionis, negotia Rerumpublicarum; vel etiam, quando ad Reges Principesque literas exaramus. Vulgaris seu arbitraria Dispositio est, quæ quotidianis domesticisque rebus intenta, artem ipsam non adeò religioso adorat veneraturque cultu. Hinc in Adolescentibus, elegantissimæ dictionis dispositio.

spo-

spositionisq; structuræ deditis, ea tole-
 ratur ac laudatur. *Elocutio* deniq; tan-
 quam tertium Epistolice Artis mediũ,
 est, quâ res inventas & suo quasi loco
 dispositas, elegantissimô purissimoq;
 dictionis filô adumbramus. Hæc ipsa
 partim in singulis, partim in conjun-
 ctis spectatur verbis. Paratur verò tri-
 bus potissimùm rebus, Arte nimirum,
 Imitatione, & Exercitatione. *Ars* est
 quæ certa, Justum ac legitimum in fa-
 ciendo modum habentia, suggerit præ-
 cepta. Ut enim non præclusum videas
 accessum ad editum serenumq; Elo-
 quentiæ templum justo cum fructu
 perveniendi, & , si forsan natura Tibi
 non contigerit optima, corrigatur, ad-
 miniculis ejusdem præceptisque non
 contemnendis fuit opus. Nôsti nimi-
 rùm, quod sine imitatione exercita-
 tioneq; creberrima omnes nifus cona-
 tusque tui sint frustranei. Quis enim
 sine illâ ad purè politeq; scribendi fa-
 cultatem pertingere unquam potuit.
 Imitemur itaque seriò, & Artem, præ-
 cepta ac judicium dexterrimè adhibea-
 mus. Sic fiet, ut rejectis corruptissimis,
 D 5 optima

optima ac probatissima tersissimorum
 Scriptorum arrepturi simus vestigia.
 Nec intra septa hæcce solùm consista-
 mus, sed præter sedulam imitationem,
 quotidianam etiam scribendi exerci-
 tationem relligiosè ac sedulò adhibea-
 mus. Sicut enim natura nihil citò ma-
 gnum fieri voluit, sed pulcherrimo
 cuique operi difficultatem proposuit:
 ita & nos à laudabili proposito nostro
 non deterreamur, sed exercitatione
 potiùs imitationeque creberrima ve-
 ras nobis paremus divitias. Ut in ex-
 emplum assumamus Hortensium, quis
 nescit ex historia, quod is nullum un-
 quam diem sibi præterire fuerit passus,
 quo se non aut domi, aut in foro dicen-
 do exercuerit? Ad hujus laudatissi-
 mum exemplum nostras etiam com-
 ponamus actiones literarias, & cum
 ingeniosissimo Apelle in exprimendâ
 pulcherrimâ Veneris formâ, lineisque
 optimis iisque accuratissimis ducen-
 dis, simus industrii. Sic tandem Divæ
 hujus favore ditati, masculam Roma-
 næ dictionis gloriam palmamque re-
 portabimus illustrissimam, eamque
 exorn-

exoptatissimam. Quô nomine etiam nunc sine ulteriore sermonis ambitu à mediis ad habitum sermonis epistolici properamus, subjicientes omnium oculis rosas violasque odoriferas, quibus ornatus incedere debet elegantioris literaturæ Studiosus Candidatusq; ingenuus.

CAP. VI.

De habitu sermonis Epistolici, ut & de præcipuis ejusdem virtutibus.

UT flores ad mel faciendum idoneos cum apiculis industriis colligamus, & cellas nostras odorato distentas videamus nectare, ad Res & Verba hoc ipso capite respiciemus. Nec enim ad formandam pulcherrimam eloquentiæ corollam aptior existes, quàm si cum decenti comparueris veste. Ornant verò eandem maximarum virtutum loco, nitidæ hæ gemmæ! nempe *Brevitas, Perspicuitas, Simplicitas, Venustas ac Decentia.* *Brevis sit Epistola Tua,* ut hæc ra-

tione luxuries nimia præcidatur, eaq; quæ superflua, inutilia ac incongrua sunt, ingenio, arte ac ornatu emendentur. Quod si enim Regum, Principum, ceterorumq; aulæ Procerum ingenia prudenter æstimaveris, reapse deprehendes, accuratâ magis ac rotundâ tanta Nomina delectari brevitate, quàm garrulitate aliquâ odiosâ. Judicium itaq; à Personis sumas oportet; idque fieri solet dupliciter: vel à qualitate; vel à captu. A captu; si nimirum ad juvenem, aut leviter doctum respicias hominem. A qualitate verò, ut talem formes orationem, qualem virum esse nôsti. Quod si aliquis in magna auctoritate dignitateque sit constitutus, stultissimum hominem Te prodes, si non floridiore magisq; elaborata dictionis specie Tuam demonstraveris prudentiam ac probitatem. Errant proinde illi enormiter, qui Epistolæ quantitatem ad duodecim aut quatuordecim restringunt versiculos. Nec enim brevitatis mensuranda est linearum verborumque numero, sed judicii ac decori ratione. Hinc non exigua
olim

olim laude effloruisse cernitur Phocion ille Atheniensis, de quo Plutarchus in vita ipsius refert, quod sermo ejus fuerit salutaris & in bonis animi cogitationibus exprimendis felix: imò quod imperiosa quadam nullisque condimentis edulcata brevitatem fuerit contentus. Ut enim numisma exiguo pondere plurimum pretii continet; ita etiam vis dicendi paucis vocibus inclusa ac quasi circumscripta, multa indicat, imò verum purumque sistit aurum. Interea omnibus elegantioribus studiis deditis ingenii auctor suaforque sum fidelissimus, ut brevitatem ita excolant, ne ea perspicuitati ipsi officiat. Ut verò ad auream hanc virtutem eò feliciori deferaris pede, & tam rudem quam eruditum hominem dictione Tua afficere valeas; en obscuritatem cane pejus & angue defugere discite. Nosti enim, quod Tibi à Deo & natura duce ideò concessus sit sermonis usus, ut clarè, distinctè ac perspicuè animi Tui sensa efferas. Ast, quoniam aliò modo medioque desiderium tuum explebis, nisi styli modum, epi-

stola aptum, breviter ac perspicuè va-
 riis attemperare didiceris personis. Sic
 longè diversa ratio est scribere ad Ma-
 gnates, & alia ad amicos aut æquales.
 Cave itaq; ne delinquas aliquid, quod
 Tuam dedecoret personam. Omit-
 tas velim ea, quæ salvâ sensûs integri-
 tate perspicuitateque tutò possunt o-
 mitti, nec superflua, inutilia, incon-
 grua, imò ingenio, arte ornatuque de-
 stituta immisceas, Aliud namque Sche-
 ma Oratorem, aliud Historicum, aliud
 Politicum, aliud Epistolarum condito-
 rem decet. Nec enim quod Seni aut Vi-
 ro, statim juveni aut adolescenti com-
 petit. Sis itaq; circumspectus œcono-
 mus in literaria hac palæstrâ, & si for-
 san aves exquisitos aliquos brevilo-
 quentiæ magistros in consilium Tuum
 adhibere, nullos alios adsciscas velim,
 quàm ex Græcis veteribus Lysiam,
 item Thucydidem & Athenæum; ex
 Latinis verò præter Catones, Sallusti-
 um, Tacitum, Florum, Senecam. Hi
 profectò ad res ipsas, compositionem
 atque verba, expeditissimam Tibi ape-
 riant viam. In Adolescentibus equidem
 non

non dissuaserim ubertatem, & quasi luxuriam aliquam in scribendo. Præclarus sanè hac de re M. Antonii apud Ciceronem de Orator. extat locus, quando ita inquit: *Volo, dicit differtissimus Vir, se efferat in Adolescente fecunditas, Nam facilius, sicut in vitibus revocantur ea, quæ sese nimium profuderunt, quàm si nihil valet materies, nova sarmenta culturâ excitantur: ita volo esse in Adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse diuturnus, quod nimis celeriter maturitatem est assecutum.* Interea in maturiori ætate alius calculus erit subducendus: ibi enim brevitati studendum, & rerum vis, quoad fieri potest, in paucissima conferenda; quippe quum prudentes animæ quemvis hominem æstimare soleant ingenio & iudicio. Et tantum de prima sermonis Epistolici virtute monuisse hæc vice sufficiat. Sequitur jam altera, nempe *Perpicuitas*, quam Aristoteles non sine ratione

ratione primam elocutionis virtutem facit. Certè, quemadmodum omnis bonus Orator id sibi negotii unicè credit dari, ut perspicuè ea inculcet, quæ ad finem sibi aliàs propositum obtinendum necessaria esse iudicat; ita etiam oratio, nisi rem planam reddat, officium suum, Quintiliano iudice, non facit. Frustrà itaque eris in aureà hacce virtute comparandà, nisi cum Augusto Cæsare præcipuam mentis tuæ curam duxeris, clarè, distinctè ac perspicuè omnia profari, eloqui atque scribere. Tantum enim abest, ut in speculo impuro imagines exprimere, aut in aqua lutosa pisces conspicere sufficiat, ut potius res & sententias propter tot obscuritatum nebulas intelligere nequeas. Ut verò ad excelsa perspicuitatis media eò citiùs deferraris; en ad quatuor hæcce momenta in futuros usus tuos seponenda, probeque in omni negotio ponderanda, respice. *Primò* non dimitte propriarum usitatarumque vocum delectum. *Secundò* in oculis habe ordinem rerum, ut & partium ac vocum expositionem

tionem distinctam. *Tertio* non negligere simplicitatem in proponendo per exempla; quia Aristotele teste libr. X. Ethicor. magis movent exempla, quam verba. *Quarto* non desere studium fervoremque veritatis explicandæ. Ut enim osoribus veritatis nihil prius solenniusque est, quam ut lucem fugiant, & cum tenebrionibus varia obscuritatum diverticula quarant; ita etiam illis, qui perspicuitatem in deliciis habent, nihil amabilius est, quam ut rem illam, de quâ loqui aut scribere parant, clarè, perspicuè ac distinctè proponant. Sed neque tertiæ Elocutionis virtuti sua deneganda erit hedera. Illa verò consistit in candore animi, & verborum sensusque perspicuitate. Cesset itaque, imò prorsus exulet affectatum pomposorum verborum studium. Quum enim simplicitas ingenui pectoris janua sit apertissima, non tamen illa omnibus æquè latè patens sit. Aliter namque scribimus ad Magnates, aliter ad Respublicas, aliter ad Patronos, aliter ad externos, aliter denique ad domesticos & inquilinos.

nos. Optimè proinde is, qui sibi scribendi partes desumit, fecisse putabitur, si magnorum Heroum palato ornatum pro ipso apposuerit condimento. Hoc enim pacto nullum amplius fastidium erit metuendum. *Venustas* porrò in Epistolis scribendis non negligatur. Illa verò à tribus hìce dependet momentis, nempe ab Inventione, à Dispositione, & denique ab Elocutione. *Ab inventione* quidem, si I. argumenta artificialia, quæ pulchra ac rara sunt, per metaphoras & allegorias elegantes adferas, II. si jocos salibusque opportunè eadem condias, & III. si Proverbiis sententiisque Veterum Poëtarum condimenti quasi vice eadem misceas. A dispositione verò, ut res & partes perspicuè ac concinnè inter se colloques; adeo ut unum membrum ab altero verè fluat dependeatque. Ab Elocutione denique oritur venustas, si tropis ac figuris ad majorem scriptioni Tuæ splendorem conciliandum utaris; ita tamen, ut Epistola Tua non assurgat ad grandiloquentiam & cothurnum illum oratorium; neque

neque in affectuum vehementiam erumpat, multò minùs in floridos Poëtarum campos nimis licentiosè evagetur. Denique etiam quinta epistolice scriptio- nis virtus purpuram suam exposcit. Intelligimus verò per illam τὸ πρέπον seu decorum. Judicii namque experientiæq; res est, videre, quid ubivis deceat, quid non. Et certè decorum hocce orator Epistolographusque in omnibus scriptis actionibusq; suis providè attendere tenentur, si modò temeritatis præcipitis notam effugere velint. Certè, sicut non omnis auditor eòdem verborum sententiarumque genere est tractandus; ita etiam in omni ætatis, vitæ, orationis scriptio- nisq; genere Epistolographo solerter est considerandum, quid deceat, quid non. Suus proinde cuiq; est modus, magis tamen offendit, qui nimium, quàm qui parum dicit. Quod si enim si- ne hâc ipsa cautione voti nostri metam obtinere sufficeremus, tunc parum in- teresset, utrum cum rusticis, aut aliis quibusdâ tenuioris fortis hominibus comerciũ aliquod literarium nobis in-
terce-

tercederet. Jam verò Personæ, quibus-
 cum negotium nobis est, sunt spe-
 ctandæ, atque ad judicia earundem
 prudentissima scriptio omnis attem-
 peranda. Nec enim plebeium aliquod
 sermonis genus, subrusticâ temeritate
 deforme, magnorum Virorum affectû
 provocat, sed potiùs humillimæ men-
 tis testificatio claves ad illustrium ani-
 marum palatia referenda porrigit de-
 sideratissimas. Hinc Plato Laërtio te-
 ste lib. 3. quando incidisset forsan in
 eos, qui præter decorum quippiam a-
 gerent, digressus consuevit dicere:
*Nunc ubi ego talis? Nemo turpitudi-
 nem suam perspicit, sed sibi quisque
 assentator est.* Ex aliis igitur discen-
 dum, quam indecora sint, quæ præter
 honestatem geruntur. *Ut enim pul-
 chritudo corporis* (inquit Cicero lib.
 1. Offic.) *aptâ compositione membro-
 rum oculos nostros movet atq; dele-
 ctat, hoc ipso, quod omnes partes cum
 quodam lepore inter se consentiunt:
 Sic decorum hoc, quod elucet in vi-
 ta, movet approbationem eorum, quibuscum*

buscum vivitur, ordine & constantia, imò moderatione omnium dictorum factorumq;. Non absimile iudicium formare licebit de Epistolographis. Quod si illi medium, quod inter excessum atque defectum locatum sciunt, internoscere non didicerint, oscitantia ignorantiaq; suæ non rarò pœnas gravissimas persolvere cogentur. Ne verò & Tu, ò Studiose Amiceq; Lector, in lapidem hunc impingas; en discè hodiè, cui scribas & quid scribas. Hisce tyrociniis probè defunctus, non vereri ampliùs debebis rusticitatis inscitiaq; delicta odiosa. Sed quò nos abripiunt sermonis epistolici virtutes eximia? Obfirmemus itaque & hoc caput, & ad epistolarum genera ritè legitimeque dignoscenda properemus.

CAP. VII.

De Epistolarum Generibus.

TRia vulgò Epistolarum genera, ad quæ cetera revocantur, dantur: nempe

nempe Deliberativum, Demonstrativum ac Judiciale. *Deliberativum* in consultatione est positum, & versatur potissimum in suadendo & dissuadendo. Hinc duæ ejus species efflorescunt, suasio nempe & dissuasio. Suasio est impulsio auditorum ad aliquid faciendum. Dissuasio contra est dehortatio auditorum ab actione aliqua. Finis Generi deliberativo propositus, est *εὐδαιμονία*, quæ à Rhetorum magistris definitur, quod sit actio, benè se cum virtute habens; seu, ut Quintiliano & Causino placet, bonus faustusq; rerum successus cum virtute conjunctus. Aliàs ad Genus deliberativum referuntur Epistolæ suasoriæ & dissuasoriæ, Hortatoriæ, Dehortatoriæ, Petitoriæ, Consolatoriæ, comendatitiæ, Conciliatoriæ, Communicatoriæ, Disputatoriæ, Mandatoriæ. Ad Genus *Demonstrativum*, quod aliàs in alicujus vel rei vel personæ aut laude, aut vituperatione versatur, pertinent Epistolæ Nunciatoriæ, Gratulatoriæ, Nuncupatoriæ seu dedicatoriæ, Gra-

Gratiarum actrices, Laudatoriæ, Reprehensoriæ, Jocosæ &c. Ad *Genus Judiciale*, quod in controversia potissimum est positum, & accusationem defensionem que complectitur, pertinent Epistolæ Minatoriæ, Quæri- læ, Accusatoriæ, Expostulatoriæ, &c. Finis Generi Judiciali propositus, est justum & injustum, æquum vel iniquum, de quibus tribus causarum Epistolarumque generibus Rhetores facundissimi, Gerhardus Johan. Vossius, Georgius Cassander, Camerarius aliique excellentes Viri sunt consulendi. Nobis hac vice hæc pauca sufficiant, Interea ne nihil omnino omittamus, relinquimus Epistolarum genera & per- gimus ad partes earundem.

VIII.

De Epistolarum partibus.

SEx vulgò orationis Rhetoricæ partes constitutas scimus; nempe *Exordium, Narrationem, Propositionem* & deniq; *Perorationem*. Ast essential-
les

les Epistolæ partes duas tantum recordamur, nempe Propositionem & Confirmationem. Reliquæ interdum tuto possunt omitti. Et quidem *Exordium*, cum eadem de re ad familiarem sæpè antea scripsimus; *Narratio*, quando circumstantiæ non indigent expositione; *Confutatio*, quando è dictis objectiones adversariorum facili negotio possunt refutari; *Conclusio* quando brevissimi fuimus in confirmatione; vel ex indignatione Epistolæ filum abrumpimus, ut: *Hec Tibi dicta sunt. Vale itaq;* Utimur etiam interdum insinuatione seu Exordio aliquo, quando nimirum materia injucunda est auditu, ut: *Quamvis nullum dubium mihi sedeat, quin tristissimum vobis allaturus sim nuncium: tamen quoniam casus ac natura in nobis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos ut facerem certiores.* Sic exordio recto utimur in causâ honestâ ac bonâ. Non enim ibi opus est, ut
audi-

auditorem vel iudicem sententiarum
 verborumq; ambagibus irretitum te-
 neamus, sed causæ bonitate freti, sta-
 tim ad rem ipsam progredimur. Exem-
 plo aliquo dato res clara erit, ut: *Di-
 cè satù non potest, quanta voluptate
 ac letitia nos perfuderit pulcherrì-
 ma & publicè hoc ipso tempore erecto
 fama de rebus præclarissimè abs Te
 gestis.* Exordio obliquo seu ex abru-
 pto contra utimur, quando tanquam
 diffidentes tergiversantesq; dum non
 optimè nobis conscii sumus, circui-
 tione ac dissimulatione quadam ani-
 mis auditorum nos insinuamus; aut
 quando scribimus ad amicos, à quibus
 per longum temporis intervallum
 nullas accepimus literas, ut: *Siccine
 igitur veterem explorataq; fidem de-
 seris amicum? Vel: Hui! quis Te
 iam absurdum credidisset?* In re-
 sponsoriis Epistolis tali ut plurimum
 utimur exordio, ut: *Sincero ac bene-
 vo o vultu Tuas, o Amicorum optà-
 me, perlegi literas, in quibus præ-*
 E ter

ter alia oblectamenta jucundissimū
 mihi fuit auditu, quod cognovi, Te
 adhuc bellè valere. Item: Spirare mi-
 hi visa sunt humanissima Tuae sin-
 gularē benevolentiam; ex eā ra-
 tione certe jucundiores, quò minùs
 expectata. Tibi proinde non ingra-
 tum fore putavi, si interdum literis
 meis Te compellarem absensq; quasi
 exoscularer. Aliàs Exordia plarum-
 que sumi solent. I. à laude ejus, ad
 quem scribimus, II. à significatione
 promptissima de eodem benè merendi
 voluntatis. III. à verecundia & mode-
 sta personæ nostræ extenuatione. IV.
 à causa & occasione institutæ scriptio-
 nis. V. à gratiarum actione. VI. ab offi-
 ciorum commemoratione. VII. à re-
 prehensione institutæ accusationis,
 VIII. ab indignatione. IX. à repetitione
 literarū lætitiæq; ex iisdem perceptæ.
 X. à lætitiæ, ex gratulatione perceptæ,
 significatione. Sic etiam exordia su-
 muntur à re ipsa: vel à persona aliqua;
 vel à causis impulsivis; vel à causis per-
 turban-

turbantibus; vel ab affectu; vel à mo-
 re ac consuetudine; vel à Chria, aut
 alia quadam illustri sententia; vel à lo-
 co; imò etiam à tempore presentissi-
 mo Sequitur jam *Narratio*, quæ brevis
 ac jucunda esse debet; sic enim liben-
 tiùs legetur: dilucida, sic faciliùs intel-
 ligetur: verisimilis, sic citiùs probabi-
 tur. ENarratione fluit porrò *Proposi-
 tio*, quæ confirmationis tractationisq;
 totius meta ac quasi caput est, sumam
 rei, de qua scripturi sumus, compre-
 hendens. Quod enim homini est cor,
 ac sagittario meta; id futuro Episto-
 lographo est propositio. Datur verò
 illa vel occulta, vel aperta. Occulta
 per totum epistolæ corpus spargitur;
 & hæc apud Scriptores optimos usus
 est frequentissimi. Aperta contrà in E-
 pistola expressis ponitur verbis, &
 tum demum in eximia literarii com-
 mercii structura invenit locum, quan-
 do ad quæstiones propositas nonnihil
 est reponendum, aut per easdem ali-
 quid docendum demonstrandumque.
Confirmatio vel ab honesto, vel ab
 E 2 utili,

utili, vel necessario, vel jucundo, vel desiderio & voluntate amicorum, vel metu damni & periculi, vel circumstantiis personarum, loci, temporis: vel exemplo & auctoritate aliorum sumitur: huc namque plæraque referri consueverunt. *Confutatio* aliquando præmittitur, aliquando subjungitur confirmationi, & est, quando id refellimus, quod vehementer nobis adversari videbatur. *Conclusio* denique continet vel petitionem, vel consiliorum officiorumq; nostrorum pollicitationem, vel suasionis repetitionem, vel causas institutæ scriptiois, vel tandem coronidis loco, votum sincerum pieque conceptum, ut nimirum Deus prosperare dignetur omnia ab amico nobis pectore peragenda pertractandaque. Et tantum etiam de Generibus Epistolarum.

CAP. IX.

De Exercitio Styli.

PEdem hic jure meritoque figere poteramus, nisi necessarium Styli

E 2

exer-

exercitium in officiô summè utili proficuoq; nos detineret. Quod itaque benè vortat ! en Benignissime Lector, mentem nostram de hóc ipsò negotiò paucis sic habe. Nosti nimirum, quod nemo artifex bonus possit saluari, nisi priùs præstanti simos quosque secutus fuerit magistros in eâ arte, quam forsan addiscere gaudet. Sanè, qui anulum conficere laborant, illi de aurò priùs sunt solliciti; & qui ædificium aliquod exstruere parant, illis certa necessaria sunt adminicula. Primò enim necesse est, ut rationem artis atque fabricæ teneant; deinde ut à materiâ, quâ indigent, probè sint instructi. Nam ut aurum ritè recteque præparetur, arte instrumentisq; est opus, & ut domus concinnè utiliterq; ædificetur, disciplinâ. Non dissimiliter ad efformandam effigiandamque orationem duo potissimum requiruntur: nimirum verborum apparatus, ipsaque copia; deinde ipsa componendi scientia. Utrumque ex sedulâ ac seriâ probatissimorum Scriptorum lectione folerter dexterimeq; est petendum; ita

quidem, ut nisi usus quotidianus, & nullâ serie interrupta imitatio exercitatioque accesserint, utrumque nobis pereat. Itaque conjungenda sunt perpetuò hæc duo sumè necessaria requisita. Sed alterum tamen sic est instituendum, prout prius fuerit comparatum. Paranda autem est verborum nonnulla copia, & addiscenda compositionis ratio, priusquam aliquid, quod majus sistat momentum, aggrediamur. Ex quò manifestus eorum nunc patet error, qui puerorum tenellorum humeris infirmis integras componendi orationes de rebus gravissimis imponunt, quum tamen infantes adhuc sint, & nullis, aut certè peregrinis latini sermonis opibus instructi, nesciantque omninò, quâ ratione jungendæ partes singulæ, & vinciendæ combinandæque sint, ne manca aut muta, imò dissoluta fiat oratio, sed concinnitatem suam prætereà habeat egregieque repræsentet. Patet hinc quoque porrò, etiam illos peccare, qui pueris, stylo primò exercendis, germanica, quæ vertant latinè, proponunt.

nunt. Nam quum non adsueverint latini sermonis genio, qui profectò non aliunde, nisi ex optimorum tersissimorumq; Scriptorum usu constat, & quum prætereà nihil latinæ suppellectilis sibi comparaverint, exspirabit profectò labor omnis, & reliqua suscepta opera frustra planè ac sine fructu ullo impendetur. Nec est quod quis obvertat, ex phraseologiis satis parata nobis præsidia ad manus esse. Nam quum ipsa germanica sæpiùs non intelligat puer, quomodo latina inquiret? Optimū sanè saluberrimumque fuerit consilium, ut industrius fidelisq; Præceptor, quando certus est, pueros sincerò castoque aliquò latinæ gustu jam tum esse imbutos, & optimas construendi rationes aliquā saltim ex parte tenere, latinam aliquam sententiam ex Cicerone cum primis, vel Historiolam quoque, quò genere maximè delectantur, iisdem proponat, ut ita germanicè omnia reddant, & deinde latinè: rursus sententiam, vel historiam, aut narrationem aliquam, quam præ manibus forsan habent inque

conspectu positam sciunt, vertant ex
Scriptore latino, eoque verè probato.
Et certè quod ratio hæc magnam in-
signemq; habeat utilitatem, nemo fer-
mè tam temerè negaverit. In hocce
genere quum aliquantulum adole-
scentulus fuerit exercitatus, & tam
latini quàm germanici sermonis indo-
lem geniumq; probè cognoverit, imò
quibusnam in rebus alter ab altero
abire soleat Scriptor, non nihil perspe-
xerit, de quo solers fidelisque juven-
tutis ingenuæ Doctor eum quoque se-
dulò admonebit, proponi ipsi aliquid
germanici potest reddendum latinè,
quod tamen ex asserto Clarissimi Dn.
Buchneri ita comparatum esse debet,
ut nullas alias formulas, voces ac phra-
ses adhibeat usurpetq; quàm quas
ipse ex optimis Auctoribus deprom-
sit. Quod si igitur phrasibus non æquè
bonis latinisque fuerit usus, seriò ad-
monendus & deducendus est ad fon-
tem, unde easdem haurire debuisset.
Et certè habet nobilissima hæcce ratio
eximiam hanc utilitatem, quod usum
lectionis exserto quasi digito mon-
stret

stret puero, in primo ætatis vere constituto, & ad imitationem probatissimorum Scriptorum primum ac felicem eidem pandat accessum. Nec enim conscientiosus Præceptor peccabit si aliquid temporis in corrigendo emendandoque insumpserit. Quod certè non rarò fieri solet, partim imperitiâ ipsorum manu ductorum, partim etiam negligentia, dum meliora vel ipsi ignorant, utpote nullâ elegantioris literaturæ ubertate instructi, vel quærere saltim detrectant linguæ Romanæ delicias optimas. Inde etiam non rarò fieri solet, ut pro barbaris, æquè vitiosa ac corrupta substituantur vocabula, quod tamen nullo modo fieri debebat, quippe quum statim in promtu nobis sint, è quibus vera peti possit emendatio. Et hocce exercitationis genus rudioribus conatibus proprium maneat uniceque seruetur. Sequitur nunc alterum, quod in varianda constructione consistit, & ad Orationis facilitatem cultumque nos præparat. Id ita se habet. Dictitetur sententia aliqua, vel narratio integra. Nec enim

E 5

refert

refert utrum fabula, sive Historia sit: hanc adolescentulus flectat per omnes casus, ita, ut retineatur phrasis, quantum fieri poterit: mutetur tamen constructio ac flexio verborum; cujusmodi exempla apud Rhetores occurrunt. Præcipuè verò consuli hic meretur doctissimus Camerarius in Elementis Rhetoricis, è quibus tota ratio solidiùs ac luculentiùs poterit constare. Porro non inutile erit pueros exercere, ut per omnes figuras formasque dicendi sermonem commiscere addiscant. Quam rationem illi docent, qui de verborum copia utiles proficiasque dederunt præceptiones. Eminent verò inter illos Scriptores, Schorus, Stephanus Doletus, & Johannes Gotschalkus. Hoc autem, judice Buchnero, in brevioribus sententiis est faciendum: nam in orationibus id velle tentare, infiniti esset laboris. Itaque ampliora opera semel vel bis convertisse, satis erit: quæ illorum potissimum provincia ac cura esse debet, qui Rhetorum præceptis jam tum sunt innutriti, ut hoc pacto praxin eorum, imò totum

totum compositionis artificium eò
 plenius solidiusque retexendo cogno-
 scant, & æmulari deinde etiam fata-
 gant: istà enim tractatione commu-
 tationeque omnia & introspiciuntur
 penitiùs, & plenius cognoscuntur,
 quàm sola undaque lectione fieri con-
 suevit, in quà non rarò plura ventis
 dari, & ob intervenientem somnum
 securè transmitti solent. Sanè publicis
 auditoriis, ubi ob frequentiam discen-
 tium omnia à Præceptore subministra-
 ta exercitia corrigi nequeunt, per-
 quàm utilis ea videbatur ratio, si pru-
 dens diligensque Scholæ moderator
 ex antiquis Scriptoribus, & quidem
 aureis castissimisque certas partes, in
 quibus illustris res aliqua præclarè ge-
 sta sit, aut locus aliquis elegans, isque
 philosophicus pertractatur, excerpit:
 imò & orationes integras de lauda-
 tissimis anteriorum nostrorumque ho-
 minum actionibus, si qui purè & sine
 affectatione scripserunt, & singulari
 cum curà veteres scriptores imitando
 perlustrarunt, germanicè vertat, e-
 asque deinceps nescientibus discipu-

lis, unde petita sint, latinitate induendas proponat; ita quidem, ut de dispositionis tractationisque ratione simul in elaborandis similis argumenti materiis admoneantur, quomodo procedere valeant. Hæc autem cum executi fuerint proprio stylo, ostendere ipsis Auctores, locaque eorundem, ex quibus depromta sunt, oportebit, ut inde emendare sua ipsi possint. Multum hic etiam proderit si discipulus versus optimos in profam converterit, & quæ Poëtarum more prolata conspiciuntur, ad rationem oratoriam revocaverit: contra numeris cultuque Poëtico aliquando exornare, quæ simplici liberaq; oratione fuerant exposita, ut hac ratione utriusque characteris indoles ac natura eò citius meliusque indagetur, non frustraneus forsan labor habebitur. Sed cave, ne confundas dicendi formas, nec, quod Poëtarum proprium est, in oratione liberà nullisq; legibus adstricta, adhibeas: nihil enim ex Heinsii, Buchneri, Masenii aliorumque doctissimorum Virorum suffragiis turpius frigidiusq; unquam hoc

hoc ipso delicto erroreque est habitum. In carminibus autem componendis non quibuslibet phrasibus ornamentisq; utantur temerè discentes, sed quæ propria sunt illi generi, in quò datâ occasione versamur. In re grandi enim occupati, heroicis versibus utantur, & præter hos ipsos dictione figurisque Virgilianis. Sin verò componendi Elegi, tum Ovidius, Tibullus ac Propertius vocandi in auxilium. In Lyricis Horatius exosculetur. Porrò non caremus libellis, in quibus epitheta, phrasès, descriptiones ac similitudines variorum Auctorum collectæ exhibentur. Verùm nos conducibilius putamus, si pueri adolescentulique in amœnissimo ætatis vere constituti ipsimet manus admoveant tam præclaro operi, & ex optimis ac probatissimis Scriptoribus apum instar mel sugant atque excerpant, nullamque aliam phrasin usurpent, nisi quam à præstantissimis artificibus adhibitâ sciunt, inter quos non postremi, sed primi sunt, Cæsar, Terentius, Cicero, & pauci alii hujus ætatis temporisque. Sequen-

quentibus enim seculis mirum in modum corrupta est latini sermonis ratio, & sicut mores vitiiati sunt, ita & sermo quoque ex pudico, honesto & gravi in nescio quas lascivias & pompas inanes degeneravit; de quo Quintil. & alii jam tum olim conquesti sunt & adhuc conqueruntur. Interea dum novimus quod nemo M. Tullio honoratior, nec C. Cæsare potentior, nec Varrone doctior fuerit: Idcirco etiam ex osculemur ac serio imitemur robustissimos hosce Atlantes. Et licet Germanicam linguam decens gravitas, Ebraeam numeri, Græcam tot alia extollant elogia; una tamen Latina ipsa profapia sua omnibus resplendet elogiis, utpote dum Gallicâ dulcior, Hispanicâ virilior, Italica tenerior esse perhibetur. Amplectamur itaque augustissimam hanc, unicamque virtutis ac sapientiæ nutriculum fidissimam, nec prius eam ex amplexibus nostris dimittamus, quam si patentissimas nobis aperuerit fores ad eloquentiæ, disciplinarum, artiumque omnium templa perveniendi. Hâc ratione omnes

omnes discendi amore igneo irretiti, ad puram, sobriam ac sanam orationem apti fient, & tot splendida bona ac dona suo tempore consequentur. Quo vota hâc vice plenus, præsens hocce caput IX. ob signo, & ad X. pergo, quod brevissimam anteriorum repetitionem ac digressionem ad ipsam Praxin aperiet.

CAP. X.

Præparationem ad Praxin Epistolicam pandens.

Pertractatis hæcenus iis, quæ sum nostrum nonnihil remorari poterant, ad Praxin ipsam recto nunc progredimur tramite. Quum enim Epistolæ utilissimum humanæ vitæ instrumentum existant, & nemo ferme sit, cui eadem probè excultæ ad grande laudis suffragium non sufficiant; injurii profectò simus, si in elaborandis consignandisque iis desides quis nos deprehendat. Quod itaque omnibus proficiendi amore æstuantibus ingeniis salutare eveniat! generalibus

ralibus præceptis omni ex parte sepositis, ad specialia argumenta mens nostra nunc sese demittit. Ubi tamen non possumus, quin præmissa priùs Dispositione generali artificium ipsum per amœnas proficuasq; Epistolas, formulas ac species legentium oculis subjiciamus; præsertim quum probè memores adhuc vivamus, quod materiarum varietas juxta generalia præcepta quàm commodissimè conformari ac dirigi possit, & quod prætereà simplicia omnia perspicuè, temperata placidè, gravia magnificè, copiosa variè & i expressimq; debeant. Sic Cicero ipse elaboratiùs ad Brutum Marcumque Marcellum, quàm ad Atticum scripsisse conspicitur. Accuratò proinde opus erit studiò in exarandis materiis seriis ac gravissimis. Ut enim sutor is non est laudandus, qui parvo pedi magnum circumdat calceum; ita etiam summoperè vituperandus venit is, qui de rebus gravibus exilem, & de rebus exilibus nitidum variisque ornamentis divitem exhibet sermonem. Scintillent proinde acuminibus sententiisque,

que, ex Symmachi monito, Epistolæ nostræ, aliàs neminem invitabimus ad lectionem earundem : prætereà sint perspicuæ, & ubi necessitas exigit, argutæ ac festivæ, ita ut maximo rerum pondere subnixa conspiciatur prudentia nostra. Hæc ratione ad amorem nostri tot eruditissima provocabimus pectora : Intereà ut etiam necessaria ac debita Dispositionibus Epistolisq; nostris servetur methodus ; en à votivis Epistolis nostrum desumimus primordium. Principe itaque loco sub Præxeos nostræ Epistolice structura se sistat.

CAP. I. quod agit

De

EPISTOLIS VOTIVIS.

Sequitur Epistola Votiva I. quæ juxta Dispositionem præsentem sic formetur.

Dispositio ad Regem, Principem ac Patriæ Patrem hunc in modum formetur. *Exordium* primò desumatur

tur à publicâ omnium hominum, & potissimum ipsius scribentis lætitiâ *Propositio* singulare declaret gaudium, quod Patriæ Patrem in tam venerabili ætatis fastigio adhuc servatum videamus, pieque recordemur. *Confirmatio* Divini Numinis benignitatem in servato tam pretioso pignore extollat. *Conclusio* humillimam devotionis nostræ testificationem unâ cum voto sincero, eoque observantissimo absolvat. Sed jam ad *ἀντί-ῥωλιν* desiderii nostri descendamus, & officiosissimâ quâdam Epistola Regi annis meritisq; gravi, felicissimum apprecemur annum,

Potentissime Rex, Domine Clementissime.

Quando inter quotidiana meâ studia hodierni diei festivitas me interpellat, non possum equidem, quin admiratione quâdem ductus de abundantia bonorum, quæ in TE unum certatim quasi derivantur, ex animo gratuler. Inter hæc verò quum eminent, imò agmen reliquum ducat prosperrima

sperrima illa & animi & corporis constitutio, tantò magis in ipsâ canitie Tuâ veneror divini Numinis clementiam. Hujus enim benignitate factum arbitror, quod ad tantum ætatis fastigium es provectus. Eiusdem bonitati adscribo, quod inter medias curarum procellas infractus invictusq; semper perstitisti. Nec obscurum divini favoris indicium est, quod eò ipsò annorũ tractu, quo alii viribus suis deficiunt, in TE Augustissime Rex, de novo eadem succrescunt. Quæ proinde provinciarum Tuarum est felicitas, in TE tanquam Atlante, tot adversitatum periculorumq; quibus aliquando premebantur, moles felicissimè hæctenus subsedit. Sed nec dubito, quin isthæc omnia, præsertim verò generosum illum in summâ senectute vigorem pro insigni illo, quem TIBI fermè proprium effecisti, pietatis zelo, ad ipsum Ter. Optimum TerMaximum referas DEUM. Delector hoc magis piissima illa Gnome, quam cordatissimus quidam Theologus Homiliæ suæ inseruit, quâ precatur, ut omnibus summis

mis potestatibus sit benè. Hæc & ego
 plenus, ex animo voveo, ut divini
 sanctissimique Numinis bonitas in TE
 semper floreat. Nec enim aliter pos-
 sum, quin observantissimo humilli-
 moque pietatis fervore ductus, ex in-
 timis pectoris mei fibris seriò optem,
 ut hodiernus dies quemadmodum
 Virtutibus Tuis excelsis primas com-
 modavit auras, ita novo auspicio eas-
 dem in plures TIBI, Potentissime in-
 victissimeque Rex, spondeat annos.
 DEUS de nostris subditorum Tuorum
 annis Tuus magis magisque adaugeat,
 sique subjectissimo servo ad idem de-
 nuò provocare licebit, saltim non ali-
 um quàm servò venturum longissi-
 mæ vitæ terminum TIBI adsignet
 benignissime.

Epistola votiva II. ejus-
 dem fermè argumenti.

*Potentissime Rex, Domine Cle-
 mentissime.*

QUum hoc ipso festo die, quem
 Calendis Januariis Divina Boni-
 tas

tas Regiæ Majestati Tuæ ex communi bonorum omnium voto illucescere fecit, non intermiserim, quin prototius inclutæ Domus, ac Tua præsertim, Augustissime Rex, salute, supremo Numini devotissimas agerem gratias; ut tamen Epistolâ quâdam obsequium meum testarer, remittendum ad hæc ferias illud officii genus fuit. Neque puto, me aliquam ex quantillâ morâ contraxisse culpam, quum indubitatum habeam, non aliunde, quàm ex solo animo Regiam Majestatem Tuam humillimum affectum ac studium æstimaturam esse. Voti mei, quod una alteraque pagina exscribi nequit, hæc est summa, ut Majestas Tua, post reliquorum temporum, ex quibus nos homines humanam æstimamus felicitatem abundantissimam copiam ac decursum exoptatissimum, in majori, & posthac etiam succrescente annorum numero felicissimum omnis boni videat complementum.

Alia

Alia ejusdem commatis
Epistola votiva, & quidem III.
ad Principem exarata.

*Serenissime Princeps, Domine
Clementissime.*

QUOD dudum exhibere debue-
ram, id ferâ quidem, sed æquè
religiosa mente manuq̃ue Tibi nunc
exsolvo humillimi pectoris mei do-
cumentum observantissimum. Quum
enim DEUS post iteratas Calendas Se-
renitati Tuæ felicissimum hunc diem
benignissimè iterum concesserit; quî
poteram aliter, quin publicam priva-
tamq̃ue Tibi, Domine Clementissi-
me, apprecarer fortunam. Scilicet
iis imaginibus Serenitas Tua fulget,
eâ virtutis gloriâ coruscat, ut etiam
doctissimis seculi nostri Scriptoribus
materiem subministret amplissimam.
Sed nolo hic in superbas Celsitudinis
Tuæ laudes, quibus enarrandis depræ-
dicandisque ne alter quidem Pericles
sufficit, digredi. Illud potiùs hâc vice
agam, ut Serenitati Tuæ vitam proli-
xam,

xam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Consiliarios fideles, populū probum & quæcunque tandem optima Principis vota esse possunt, venerabundā apprecer mente. DEUS Te, Domine Clementissime, sospitet ac conservet in seros Nestoris annos longissimaq; ætatū tempora: Tua enim salus, nostra salus: Tua felicitas, nostrū gaudium. DEUS Te servet!

Ejusdem argumenti Epistola, & quidem in ordine I V.

*Serenissime Princeps, Pater Patriæ
nostræ Clementissime.*

Solennis quondam ac laudata apud bonos Veteres invaluit consuetudo, ut subditi pro incolumitate Imperatorum suorum publicè vota facerent. Quem pium & à tot retro seculis laudabiliter receptum morem nec ego hac vice dimittere potui, sed potiùs alacri erectoque animo vota mea persolvens, ex animo opto precorque, ut DEUS pro imensâ bonitate suâ Serenissimam Celsitudinem
Tuam

Tuam miserrimo hocce deplorandi temporis statu, quo Germanorum, plerorumque provinciæ cum tot exteris regnis non aliter quàm sepulchra adspiciuntur, florentem vigentemque imposterum conservare dignetur. Nec enim Serenissime Illustrissimeq; Princeps, unius alteriusve provinciæ finibus, sed totius habitabilis mundi regionibus amplissimorum Tuorum gestorum splendor se circumscribit. Taceo hâc vice, quanta in oculis Tuis tranquillitas, in fronte benignitas, in vultu suavitas, in alloquio clementia compareant. Tu modò perge, Patriæ nostræ Pater Clementissime, rectorum studiorum omniumque bonorum Princeps Patronusq; posthac existere maximus. Sic sempiternis invictæ virtutis gloriæque præconiis non solùm posteram, sed etiam adhuc viventem studiosam gentem Tibi reddes devinctissimam obstrictissimamque.

Episto-

Epistola votiva V. ad Cancellarium Principis, ejusq; Sanctiores Consiliarios.

Magnifice, Perquam Generosi Maximeq; Strenui Viri, Domini Patroni omni observantia cultu atatem colendi devenerandiq;.

QUoties Periclem, Græcorum Oratorum quondam Principem disertissimum, ne quod verbum sibi excideret incommodum, à Diis petiisse lego: Non animo solùm comoveor, sed & toto ferme corpore perhorresco. Virum enim & singulari prudentiâ & multarum rerum experientia politissimum tam sollicitum ad dicendum accessisse, in gravissimis Præscorum monumentis cum reperiam, egone adolescens, rerum omnium fermè imperitus, litteras ad Vos Atlantes daturus, jure meritoque non prohorrescam? Verum quàm salutiferum hocce recens nati anni tempus amplissimam scribendi occasionem mihi subministraret, piaculi loco duxi, eandem inertis agricolæ more prætermitt-

F

Deo

Deo itaque Ter Opt. Ter Max. tantas, quantas observantissima Virtutibusq; Vestris obstrictissima mens concipere potest, ago habeoque gratias, quod Magnificentias ac Generositates Vestras in hunc usque diem adversus tot sævientes morborū cohortes & venenata mille artificis tela fospites salvasque conservârit. Prope hæc de tantâ benignissimi Numinis clementiâ gratulans, felicē hujus & aliorū complurium annorum ingressum, feliciorum progressum & felicissimum egressum Vobis omnibus ex animo exopto. Apprecor quoq; ut Generositates Vestrae sint felices, sint florentes, sint terque quaterq; beatæ. Hoc calidum meū votum pro salute incolumitateq; Vestra fufum ut Sacro sancta Trinitas confirmet, intimū sincerumq; meum est votum. Intereâ ne tempora Vestra, sacratioribus curis consecrata, tædiofo forsan sermone meo ulterius remorer, sisto hic calamum, ex animo vovens, ut vivatis valeatisq; feliciter, & mihi, si modò mereor, illustrem favorem Vestrum, quem etiam studia mea egregiè

giè hæctenus sunt experta, proprium perpetuumque impofterum quoque conſervare non gravemini.

Alia ejusdem argumenti
Epiftola Voriva, & quidem in
ordine VI.

Premiffa eſt Epiftola diſpoſitio, hunc in modum formata.

Exordium breviter comẽmoret nobiliſſimum Romanorũ ritum, ſacrificantium ſub ipſum menſis Januarii initium Jano ſuo thus merumque. *Propoſitio* artiſcioſe innuat, nos itidem deficiente thure Sabæo Numinibus noſtris terreſtribus offerre velle roſas odoriferas, & quidem ſubalbicantes. *Confirmatio* applicet illas ad ſedulas vigilesque Conſiliariorum curas. *Concluſio* obſignetur voto, ut nimirum vegeti fortunatique vivant Patroni, & conſtantiffimum erga nos affectum benevolẽ conſervent.

Sequitur Epistola ad Consi-
liarios Principis, juxta dispositio-
nem modò datam consignata.

QUOD olim nemini laudi duceba-
tur, id neque mihi nunc glorio-
sum arbitrabor. Romanis enim quon-
dam vitio vertebatur, Janum suum si-
ne thure meroque adire. Quid hic
mihi erit faciendum? Utrum ego Ca-
lendis hifce Januariis in venerabilem
& tot meritis clarissimum terrestrium
Numinum meorum conspectum sine
votivo thure prodire tentabo? Absit
à me hoc ipsum ingratae mentis vitiũ
quàm longissimè. Religiosiore po-
tius observantiae cultu ductus, Am-
plissim Nobilissimaq; Nomina Vestra
praesenti charta venerabor. Et quum
hoc ipso festo die Sabæum thus ad ma-
nus mihi non sit, odoriferas tamen ro-
sas, subalbicantibus foliis constantes,
ad sacratum circumspectae prudentiae
Vestrae templum nunc afferam. His
ipsis enim quàm simillimus est sanctif-
simus justitiae curarumque Vestrarum
Zelus. Scilicet cauta sagaxq; pruden-
tia

tia nullos alios flores quàm fragrantissimos exspectat, nullamque aliam mercedem desiderat, quàm vigilem pallidamque pro bono publico curam. Quamobrem ingrattissimus meritò is audiat, qui difficillimis hisce temporibus, Patriæ suæ Patribus vigilantissimis, ut pote quorum dexteritati providæque curæ observantissimè se obstrictum novit, candidos serenosque dies non precetur. Non faciam id ipsum meliora edoctus, sed potiùs suavissimum hunc pietatis meæ fructum reapse tulisse augurabor, si modò, Vos Atlantes, fulciendo cœlo litterario unice natos, incolumes, florentes, vigentes, atque omnibus quæ mentis quæ corporis bonis cumulatissimo audiero. Deus in omnibus consiliis Vestris tanquam in folio suo ipse requiescat, & si modò hoc unicum addidisse non prohibebor, patiamini quæso, ut desideratissimum Vestrum erga me imèrentem affectum nunquam persentiscam mutatum.

F 3 Epi-

Epistola Votiva VII. ad
Patronum.

Quemadmodum naufragi olim
 Neptuno tabulam in littore di-
 care, inque hâc ipsâ pericula, in alto
 maris exhausta, depingere consueve-
 runt, ut nimirum pro salutifera inco-
 lunitate clementissimoq; auxilio eò
 majores gratiæ agerentur. Sic ego quo-
 q; laudandum hunc veteris avi morē
 imitaturus, Deo Ter Opt. Ter Maximo,
 Deo maris & coeli, devotissimâ in pe-
 ctoris mei templô suspendo tabulam,
 eiq; gratias, quas mens mea concipere
 potest, ago habeoque maximas, quod
 Magnificentiam Vestram ex periculosi-
 ssimo veteris anni naufragio, salvam
 incolumemque conservârit, atque ex
 variis calamitatum procellis, & passim
 sævientibus morborum fluctibus ere-
 ptam, novum annum inchoare facilli-
 mē permiserit. Cujus initium Magnifi-
 centiæ Vestræ ex animo precor prospe-
 rum, medium prosperius, finemque
 longè prosperrimum. Precor quoque
 ut in gravissimis gravissimarum rerū
 con-

consiliis copiosissima benignissimi Numinis benedictio conspiciatur. Precor prætereà ex intimis cordis mei fibris, ut non hoc solùm inchoato, sed multis aliis etiam subsequituris annis cum nobilissima Familia sua crescat, virescat, eflorescat, & ad sempiternam divini Nominis Numinisque gloriam, patriæque afflictæ emolumentum, quam diutissimè vivat. Hoc candidum cordatumque meum votū, ex observantissimo pectore profectum, ut Sacrosancta Trinitas confirmet, ultimum intimumq; meum est votum.

Ad Mæcenatem Politicum Epistola Votiva VIII.

Nobilissime Vir, Patrone maxime.

QUOD procurationes Tuas publicè privatimque utiles nunc interpellē, Tibique, cui nova negotiorum moles quotidie surgit, ac sub manibus quasi crescit, intempestivis hisce nauseam tædiumque creem; id nunc faciunt ipsæ Calendæ Januariæ, quæ pro singulari observantiæ meæ testimonio hortamentum ad affe-

F 4

ctuna

Etum mihi im̄erenti benignissimè ha-
 ctenus exhibitum, adque eundem be-
 nevolè imposterum continuandum,
 inferunt maximum. Et quum probè
 mihi sedeat, quod *divitis metalli ho-*
nore non gaudeas, pio eoque religio-
 s. voto DEUM convenio, velit Ejusdē
 bonitas Tibi, Patrone sume, valetudi-
 nem integerrimam, pacem dulcissimā,
 rerum omnium abundantem suffici-
 entiam, imò perpetuam animi sereni-
 tatem, ac quæcunque tandem hisce in
 terris maxima putantur bona, benign-
 issimè largissimeq; concedere. Exau-
 diat Deus preces meas quas hic fundo
 calidas, & si votis aliquid possum, ex
 animo precor, ut successus in gravis-
 simis gravissimarum rerum negotiis
 ultra vota mea Tibi, Maxime Vir, lar-
 giatur Omnipotens prosperrimos. In-
 terim vale feliciter, & si mereor, fa-
 vere perge Virtutibus Tuis æternū
 obstricto obligatoque Clienti ob-
 servantissimo.

Alia

Alia ejusdem argumenti
Epistola Votiva ad Patronum,
& quidem in ordine IX.

Amplissime Vir, Patrone Maxime.

QUoniam Sol sine facto cursum suum iterum ad nos flectit: Idcirco mearum partium esse duxi, Te, Meccenas Honoratissime, piô sinceroque donare votô. Exsolvo itaque quod in potestate mea post divinum Numen situm esse novi, & Tibi, Patrone sume, bonam valetudinem, rerumque omnium abundantissimam sufficientiam, ex animo apprecor. Tu, ô Nestor seculi nostri bonarumque litterarum Promotor æstumatissime, animû meum splendidissimæ strenæ loco agnosces, & mihi imposterum benevolentiam Tuam, maximæ fautricis adjutricisque loco, propriam perpetuamque conservare non dedignaberis.

Ejusdem comatis Epistola Votiva X. ad Fautorem.

QUoniam singulari Dei gratia dies ille, quem pii veteres nostri auspi-

F 5

catissi-

catissimum semper existimârunt, iterum illuxit: Idcirco more à multis seculis laudabiliter introducto hac vice defungens, ex animo Tibi, Patrone Maxime, annum hunc supra votū apprecor fortunatissimum felicissimumque. DEUS TE, ô Benefactor optime, bonis omnibus ita circumfundat, ut sub privato lare delitescens, Regum omnium fortunam videre valeas constantissimam. Concedat Tibi præterea sanctissimū Numen annos Nestoreos, & omnia quæcunque hisce in terris putantur maxima. Sed ne Orationis partes hic mihi sumfisse videar; en animum meum instar strenæ optimæ Tibi religiosè oppignoro, nihil magis in votis habens, quàm ut voluntatem Tuam erga me imèrentem eximiam nunquam deplorem mutatā. Hisce paucis vale feliciterque salve.

Ad Parentem Epistola

Votiva XI.

Quemadmodum piam, antiquam ac venustam consuetudinē esse arbitror, Venerande Dn. Parens, ut sub
ipsum

ipsum novi anni auspiciū alter alterum gratulatum conveniat, ac felicitatūque & fausta eidem precetur exoptetque; Mearum omninō videbatur esse partium, ut primū omnium Tibi, utpote in quō colendō filialē mihi constitutam novi sanctitatem, hocce pietatis observantiæque debitæ officium reapse præstarem. A votō itaque ordior, & novi hujus anni ingressum felicem, progressum feliciorē, exitum verō longē felicissimum ex intimis iisque observantissimis cordis mei fibris, Tibi, Genitor honoratissime, voveo atque exopto. Deus de robore meo Tuam firmet sanitatem, singulisque præclaris actionibus Tuis sanctissimam ex altissimo cœlo largiatur benedictionem, ut expediendis negotiis illis, quibus quotidie Te irretitum scis, tanquam alter Atlas mei meorumque omnium bono atque cōmodo ad feros maturosque usque Nestoris annos felicissimē præsis. Deus Te fervet: Nam Tua salus, mea est salus: Tua felicitas, mea felicitas. DEUS Te fervet.

**Ad Amicum Epistola V o-
tiva, & quidem in ordine XII.**

ADest salutiferum tempus, quô ne-
mini amplissima scribendi seges
ac materia potest deesse. Adest jam
illud anni tempus, quo amici fideles
sincerique amantissimis pectoribus
suis de felicissimo novi anni auspi-
cio augurioque, more à multis se-
culis laudabiliter recepto, gratulari,
& strenas, tanquã infucatae mentis in-
dices, mittere tenentur. Quem lau-
dabilem morem & mihi observandũ,
Tibiq; etiam gratulandum esse duxi.
Facio itaque quod est in proclivi, &
Deo maximis gratiis actis, quod Te in
hunc usque diem præstiterit indemne,
de tanta Ejus in Te clementia ex toto
gratulor animo, precorq; , ut novus
hic annus lætis auspiciis ineat, lætiori-
bus procedat, & lætissimis exeat, sem-
perq; felicior recurrat. Opto quoque
Tibi, ut feliciter cadant cogitata, feli-
citer succedant incepta, feliciter eve-
niant peracta. Absit sollicitudo, ab-
sint ærumnæ. Hoc calidissimum meum

votum ut apud Divinum Numen firmū ratumque maneat, desideratissima precor mente manuq; Vale.

Alia ejusdē Argumenti Epistola Voriva, & quidem XIII.

Nescio sanè, dulcissime Amice, quonam castissimo constantissimi amoris igne meum multis hactenus argumentis reapse demonstratum affectum Tibi testatum reddere sufficiam. Dum enim pars desiderii mei nunquā non extitisti maxima, ipsemet tamen pro Tua prudentia facillimè existimare potes, quanto hucusque privatos nos viderimus fructu, omni reciproco litterarum comērcio sublato. Deo tamen sit laus & gloria, quod iratam manum à finibus nostris retraxerit, & nimbos illos, qui tot mortaliū tergis iminebant, clementissimè iterum averterit. Quanquam ea felicitate fortē nostram neutiquam metiri valeamus, ut sine metu omnimodo asserere sufficiamus, diras illas tempestates jam tum prorsus desēvissē. Magna enim adhuc hodiē nos circum-

stant mala, quæ Germaniæ nostræ toti-
 que Romano Imperio certissimâ, imò
 funestissimam minari videntur ruinâ.
 Sed fiduciam nostram in optimo Di-
 vini Numinis auxilio intrepidè pona-
 mus, illud enim calamitosissimis rebus
 nostris quàm optimè prospicere po-
 test. Interea dum pia ac veneranda An-
 tiquitas Calendas Januarias strenis ab-
 legandis religiosè consecravit, par o-
 mninò erat, mactare Te pretiosissimis
 intemerati amoris gemis. Accipe itaq;
 earum loco tabellâ hanc votivam, ut-
 pote quæ nihil aliud spirat optatque,
 quàm ut præsens hicce annus Tibi
 Tuisque ex animi sententia felicissimè
 decurrat. Hisce paucis hac occasione
 vale, & officia Tibi à me nunquã non
 promptissima paratissimaq; pollicere.

Ad Præceptorem quon-
 dam fidelissimum Epistola Vo-
 tiva XIV. Discipuli grati.

QUod nobilissima doctissimaque
 Tuâ tempora, quæ profundissi-
 mis de universâ re literariâ cogitati-
 onibus fructuosissimè à TE impendi
 me-

memini, nunc remoret; illud sine dubio Calendæ Januariæ, strenis dicandis aliàs natæ, facillimè excusabunt. Dum enim majoribus beneficiis quàm ipsi Parentes mihi es cognitus; quî poteram aliter, quin sincera devotionis meæ obsequia constantissimè Tibi probarem. Te namque in elegantiori litteratura habui Præceptorem fidelem, perspicuum, industrium. Quas dotes certè qui ad formandum effigiandumque juvenile ingenium adferunt, nullo præmio dignè remunerari, nullisque laudibus satis extolli queunt. Utinam verò tam bono Præceptori paria facere, & æquè bonum discipulum me approbare sufficiam! Ast quum cœlum id sibi reservârit, & prætereà omnem redhostimenti spem beneficiorum Tuorum magnitudo præscindat: Noli tamen sine votis meis, pro salute Tua fufis, in venerabilem Tuum prodire conspectum. Accipe itaque eadē sanctissimi pignoris loco, & me, si mereor, inter observantissimos Tuos clientes benevolè imposterum nume-

me-

mera, utpote qui Tibi toto pectore devotus devinctusque vivo ac morior. Quod superest, ex animo precor, ut Calendas hasce Januarias cum innumeris aliis annis, felix florensque traducas, atque sic inclutam Virtutis Tuæ gloriam excelsis meritis augeas, neque prius cognata cœlo sidera repetas, quàm per multorum annorum seriẽ decursumque. Sed ne epistolaris dictionis limites transiisse videar, finio hac vice, & Te Divino Nomini Numinique comendatum prosperrimè salvere atque valere jubeo.

Responsio Præceptoris ad Votivam Discipuli Epistolam & quidem.

QUæ pro salute mea prosperoque anni nunc labentis ingressu ad me misisti vota, non possum quin paribus iisdemque ad DEUM rependã precibus. Faxit idem, ut, quæ in ipsius honorem jam meditaris studia, divinis Ejusdem laudibus propria posthac sint, quamque de Te hic olim
con-

concepimus spem , non expleas modò , sed & superes , & in perpetuum Tui emolumentum protendas. Non miraberis autem , quod rariores hactenus ad Te , ò Optimè , dederim. Ut ut enim jam arripuerim interdum calamum , eundem tamen excusit agendorum moles. Persuasissimum igitur TE esse cupio , me , cum maximè sileo , Tui & agere causam & tueri quàm diligentissimè. Modò intentioni ac desideriis nostris eventus semper respondeat. Rectè interim facis , qui primos adolescentiæ annos amœnioribus studiis impendis. Neque enim statim ad severiora constringendus est animus , & solidi quicquã , nisi istis suppositis , vix superstrues. Intereà ex animo veneror nobilissimam Tuam indolem , utpote quæ de dexteritate nostrâ in optimarum artium studio olim felicissimè adhibita , tenerrimè est sollicita. Faxit DEUS ut gratisimam hanc mentē erga Præceptores Tuos constanter indefinenterque serves. Sic aliquando non civicâ sed triumphali
in

in altera illa ipsisq; Seraphinis stupenda Academia donaberis corona; quinimo apud DEUM non solum, sed etiam apud homines hujus recordationis memoria exstabit sempiterna. Sed nolo tempora Tua suavissimis Musarum epulis destinata, ulterius morari. Finio itaque, & precor, ut Deus mentem istam quam optima indoles Tibi ingeneravit, propriam perpetuamque faxit. Hisce lineis brevissimis vale, ò Optime Juvenis, & feliciter salve à Præceptore Tuo quondam fidelissimo, utpote qui toto pectore Tibi studiisque Tuis obstrictus vivit manetq;

**Alia ejusdem Argumenti
Epistola responsoria, & quidem II.**

Quâ Præceptor suo quondam Auditori absentis omnia fausta ac fortunata apprecatur.

ADscribes sine dubio, ò Optime ornatisimeque Juvenis, continuis meis occupationibus, quod ad litteras Tuas circa primum anni hujus

Jus initium ad me missas, pioque ac devoto pro salute mea voto stipatas, nihil dum responderim. Nunc feras, fortassis tamen æquè gratas gratias recipe cum hoc precum additamento, ut & Tibi studiisque Tuis divina clementia sic adspiret, quò emetiri cursum jam cœptum & metam propositam quantocyus attingere liceat. Largiatur Tibi omnipotens Deus integras vires, &, si qua ex parte imminuta est, cœlesti beneficio pristinam restituat sanitatem. Dabitur hâc ipsâ æstate occasio, quâ in altioribus Musarum sacris jam constitutus, stipendio quodam lauto ornari possis. Intereâ Præceptoribus, quos jam habes Clarissimos, diligentiam Tuam porrò proba, ut præviâ ipsorum comendatione donatus sine metu ullo instans præstitutumque modò Examen de profectibus Tuis in Academia Vestra locatis sustinere sufficias. Quo voto erectus, finio hic, & felices fortunatosq; viales Tibi ex intimis cordis mei penetrabilibus apprecor. Vale.

CAP.

CAP. II.

De

EPISTOLIS GRATU-
LATORIIS.

Gratulatoriæ Epistolæ sunt, in quibus Patrono vel de acquisito honore, vel de fortunæ favore, vel fortunato rerum successu, vel de nuptiarum felicissimè obtentorum progressu gratulamur, ulteriorem in rebus omnibus Divini Numinis nutum Eidem apprecantes. Quatuor verò Epistolarum gratulatoriarum dantur partes, quarum prima est *Exordium*, constans aut institutæ gratulationis occasione, aut lætitiæ ex Patroni rebus prosperis ac secundis perceptæ significatione, aut gratulationis feræ ac dilatæ excusatione. Secunda Gratulatoriarum Epistolarum pars est *Propositio*, quæ gratulationem gratulandique propositum detegit. Tertia pars est *Confirmatio*, quæ gratulationis argumenta pro diversa materierum ratione secundum locos generis

ris

ris demonstrativi continet. Quarta pars Epistolarum gratulationum est *Conclusio*, quæ peragitur aut studii officiique, aut amicitiae oblatione, aut porro appreciatione, aut favoris conferendi insinuatione. Personas quod attinet, tunc probè est dispiciendum, utrum eæ sint privatæ, an verò Magistratum gerant. Certè apud Principes ac Magnates omnia gravius, uberius atque artificio majori adhibito sunt peragenda. Præterea sedulo curandum, ut gratulatio nostra ab omni assentationis suspitione abastrenata videatur. Secus verò se res habet in gratulatione privatarum Personarum, iis enim ut plurimum aliâ atque alia comoda, quibus Easdem auctas novimus, gratulamur, Quod si verò Magistratum cuiquam gratulabimur, ad rectam diligentemque justitiæ administrationem eum cohortabimur, si modò Personæ ipsius dignitas non diversum quid suadeat. Stultitiæ enim signum est manifestissimum, si quis aliquem, qui in majore dignitate esset constitutus, aperte

pertè & directè hortari vellet, quasi non major prudentia in amplitudine quàm in qualitate resideret. Circumstantiæ proinde Personarum probè sunt discernendæ. Illi namque homines, qui majora bona, nempe honores virtutesque majores; itè prudentiam ac sapientiam maturiorem sunt consecuti, illis quoque majora debentur præmia præ vilissimis illis ingeniis, quæ natura ad partem tantum cum animantibus brutis abjecit; sit ut ex proximè sequentibus Exemplis argumentisque ad oculum manifestò patefcet, è quorum cumulo Magnatum purpuram prius decenti gratulatione venerabimur: Deinde reliquorū etiam postes ornare non supersedebimus. Quod itaque bene vortat! en fortunatos rerum successus, honores, fortunæ item favorē, rerumque felicissimè obtentorum successum progressumque gratulationibus nostris prosequemur. Tu modo Studiose Lector, singulos Epistolici nostri corporis articulos juncturarumq; commissuras diligenter observa. Sic olim major-

jorum minorumque Gentium Dii^s
Tutelaribus gratus acceptusque ali-
quando eris. Sed quorsum dilabimur?
In viam iterum redeamus, & principe
loco ponamus Regem, cui de reditu è
militia in patriam gratulemur.

EPISTOLA GRATULATO-
RIA I.

Quâ Regi de reditu è mili-
tia in Patriam gratulamur.

TAntus sanè voluptatis sensus,
Potentissime Rex, in devotissi-
mis subditorum Tuorum pectoribus
exsurgit, ut præ solido gaudio vix
nesciamus, quænam beatissima sin-
gularis lætitiæ signa eligere ac pro-
mere teneamur. Adeò magnitudo
nuncii dudum desiderati nostrum
percellit intellectum. Dum enim
tantam tamque ingentem militum co-
piam ad tristissimas cruenti Martis a-
ras vocatam, inque efferatissimorum
hostium conspectum deductam, ex
generosissimo invictarum Virtutum
Tuarum Zelo hæctenus vidisti; quis
redi-

reditum Tuum non religiosissimè excipiat observantissimo pietatis osculo? Intereà bonum factum auguramur, quod sospes valensq; tam longo exspectationis desiderio nos liberaveris; utpote qui nihil aliud in votis habemus, quàm ut mansio Tua apud nos modò constans ac perpetua sit; quamvis infelicitatem nostram ex eo capite non imèritò metiamur, quod iterum à subditis Tuis discedere pares, utpote quam infaustam vocem etiam nuncia fama tristissimo nunc proloquitur vultu. Deus tamen qui dives est gratiâ ac misericordiâ, benignissimè, uti speramus ac confidimus, largietur, ut suavi illo ipsisque Gratiis ambiendo pectore Tempora, Curia atque Scholæ quàm diutissimè perfrui possint. Tu vero ò Potentissime ac mansuetissimè Rex, post tot discrimina fortissimo animo exantlata, in altissimâ Regiæ Tuæ domus tranquillitate felicissimè confesce.

EPI-

EPISTOLA GRATULATO-
RIS II.

Quà Principi, redeunti è
melicia, deq; sincero laudatissimo-
que pacis studio haectenus soli-
cito, gratulamur.

*Serenissime ac Illustrissime Princeps,
Domine Clementissime.*

Vicerunt tandem ignea bonorum
omnium vota, & quicquid huc-
usque in abditò pectoris nostri scriniò
clausum servabamus, ad exoptatissi-
mos serenæ lucis radios surrexit. Per
media enim arma ad thronum Tuum
festinantes, desideratissimã Principis
nostri manum religiosissimè exoscu-
lamur. Deposuisti certè partes o-
ptimas, Serenissime Princeps, dum
ea ipsa, quæ Tibi ab Imperatore au-
gustissimo demandata noveras, ex
sanctissimo pietatis prudentiæque
Zelò saluberrimè composuisti. Nec
enim illustrius mansuetudinis Tuæ
documentũ exhibere poteras, quàm
ut fervidos militum animos ad al-
mam

G mam

mam reduceres pacem. Quæ res itaque benè vortat omnibus aureæ tranquillitatis olivã seriò amplectentibus; en pignoris loco affectum humillimū observantissimè Tibi offerimus, nihil magis in votis habentes, quàm ut innumeris bonis auctus, post exantlatos tot sudores laboresque inmarcessibilem coronam ab Angelis aliquando reportes. Quò in voto hâc vice definimus, seriò optantes, ut diu interis coetibus mortalium, præcipuè verò sublapsas res nostras prostratasque non solùm saluberrimis consiliis Tuis imposterum erigas, sed etiam stabilias ac reapse firmes. Quod si aliquid in promeritas laudes Tuas à nobis iterum excogitari poterit, Musas nostras in purpuræ Tuæ præconia non solùm pronas, sed etiam semper experieris observantissimas. Ita vovent unanimi applausu

Serenissimi Celsissimiq; Nominis Tui

subditi humillimi.

EPI.

EPISTOLA GRATULATO-
RIA III.

Quâ Principi gratulamur
de recuperatâ pristinâ vale-
tudine.

*Serenissime ac Illustrissime Princeps,
Dn. Clementissime.*

Exhorrescebam fanè voxq; dolore
pressa mihi sedebat, postquam de
adversa valetudine Tua, nescio quis
infaustus nuncius aures meas feri-
ebat. Quis enim nostrum non optet,
ut fato Tuo exequiæ simul nostræ ce-
lebrentur? Adeò meritorum Tuo-
rum splendor in animis nostris scin-
tillat, ut nemo sit, qui salutem Tuam
salute suæ non velit optetque redem-
tam. Quanquam Musæ nostræ ho-
diernâ luce ex animo sibi gratulentur,
quod Te, fulciendo cœlo oppidò na-
tum Atlantem maximum, placidos
ferenosque dies iterum numerantē vi-
deant. Salva itaque Serenitate Tua,
salvi sumus omnes. Faxis modò Deus,
ut dulcissimæ patriæ nobisq; omnibus

G 2

quàm

quàm diutissimè ac felicissimè maneat superstes, nec nisi seris nepotibus imaturum Tuum fatum innotescat. Quò in votò defino, & favori Tuo illustri ex antiqua pietatis formula sincerè observanterque me comendo.

EPISTOLA GRATULATORIA IV.

Quà honorato Viro de amplissimo Consiliarii titulo ac munere gratulamur.

Quamvis nullum dubium mihi fedeat, Nobilissime Vir, Patrone sume, quod lætissimis omnium vocibus excipiaris, postquam ad amplissimum Consiliarii munus dignissimè Te evectum nòsti: Tamen nec ego hac vice filere, sed potiùs votivum meum calamum interponere volui. Ut itaque præsentissimus hicce honos Nomini Tuo gloriosus, Serenissimo Tuo Principi salutaris, nobisque omnibus fructuosus eveniat, ex animo opto precorque. Tale enim præmiũ hoc ipso tempore Tibi proposi-

positum vides, quale merita Tua jamdudum desiderârunt. Faxit modò DEUS, ut prudentiæ Tuæ fructū infiniti mortales ipsō factō atque opere experiantur. Hoc pacto non solum Papinianos Scævolasque illos antiquissimos, sed etiam alios celebratissimos justitiæ Sacerdotes egregio æquabis exemplo. Quod superest, ex animo precor, ut grande illud Saxum, quod Tibi in foro Civili nunc volvendum incumbit, sine terrore, ullo aggrediaris. Quō factō non solum DEI, sed etiam hominum favorem Tibi conciliabis, Memori sine dubio circumfers mente, quod nullum splendidius diadème repræsentrare sufficias, quàm si justitiam exerceas, injustitiam contrà aliosque inconsultos affectus ante fores deponas. Sed finio, & integras mentis corporisque vires, sine quibus omnia humana aliàs vacillant, Tibi ex animo exopto.

 EPISTOLA GRATULATO-
 RIA V.

Qua Oratori Ecclesiastico
 de adepto modò munere gravif-
 simo sincerè observanterq; gra-
 tulamur.

BENè profectò nobiscum factum
 esse reris, Venerabilis Vir, Patro-
 ne maxime, quod excelsus Principis
 nostri Zelus Te ad amplissimum ar-
 duumque muneris Ecclesiastici fasti-
 gium legitimè voluerit vocatum.
 Hoc enim insigne præmium igneæ
 Virtutes Tuæ jamdudum ex merito
 maximo promerebantur. Nec enim
 dignior successor Spartã hanc sùbli-
 mem ornare potuisset Te unò. Quo
 nomine omnes boni seriò sibi gratu-
 lantur. Et, quis quæso sit, qui tan-
 tum Virum votivâ acclamatione ex-
 cipere non gaudeat, utpote de quò
 certi sumus, quod vindice linguâ pie-
 tatem extorrem in pristinas suas se-
 des reducere, dies noctesque laboret.
 Tu modò perge, Patrone maxime
 Ecclesiæ militantis navim inter tot
 mun-

mundi freta fluctusque periculosissime oberrantem, masculam prudentiam Tuam felicissime gubernare. Sic nullum supererit dubium, quin multis animabus Divino Numini lucratis, gravidam aliquando plenisque aristis divitem messem in sanctissima æternæ vitæ atria sis vecturus. Sed ultimus tandem litteris meis adsignandus erat terminus. Finio itaque, & ut benevolentiam Tuam propriam perpetuamque clienti Tuo devotissimo conserves, observantissime rogo.

EPISTOLA GRATULATORIA VI.

Qua Philosophiæ Professori de nactâ Spartâ Professoriâ gratulamur.

Quanquam in certissimam spem erigar, Clarissime Vir, vera esse illa omnia, quæ de Te nuper admodum narrata memini, præ reliquis tamen rumusculis mihi placuit, quod inaudiverim, Te unanimi Procerum consensu ac suffragiô in philosophicū

ordinem cooptatum, ac mercede illâ, Virtutibus Tuis jampridem debitâ, ex meritô maximo fuisse maectatum. Quis enim ex animo non lætetur, quando audit doctrinam Tuam cum probitate singulari conjunctam, tantô remuneratam fuisse præmiô. Quamvis incertus adhuc vivam, utrum etiam industria Professorum debito, eoque necessario apud vos provocetur salàrio. Adeò nutat hodiè magnorum promissorum fides. Ast quid faciet candidum ingenium difficillimis difficillimorum temporum casibus periodisque expositum. Intereà ut Juvenum nobilissimorum læta caterva Te tanquam politum speculum adspiciat, nullumque diem prætermittat, quem non providè locatum sciat, ex animo opto. Faxit DEUS, ut qui ad honorificam Professionē Te nunc alligatum nōsti, maximarum Tuarum Virtutum campum strenuè emetiaris, ac in tot afflictarum Musarum solatium certissimum gloriosè decurras. Sed ne horas Tuas publicè privatimque utiles
ul-

ulterus morari videar, sisto hic calamus meum, nihil magis in votis habens, quàm ut tali semper in me absentem, quali in presentem nullò tempore non extitisti, perseverare digneris animo. Vale.

EPISTOLA GRATULATORIA VII.

Quâ de mittâ Doctorali gratulamur Amico.

Quantâ lætitiâ perfusus steterim, postquam audivi, honores doctorales Tibi in Parnasso Altdorffino ex merito maximo decretos delatosque fuisse, vix quisquam credat. Præterquam enim quod vix solidius diligentæ Tuæ testimonium producere potuisses; tam gratū tamen fuit, quod uberrimam nactus sim materiē, purpurā Tuam, quâ Te hoc ipso tempore circumdatū lætaris, sincerè religioseque exosculandi. Et sanè verissimum effecisti egregium illud Cassiodori dictum, quò innuit, neminem nempe, qui solidam modò virtutis gloriam

consequi studet , laborem refugere debere. Nimirum nulli alii olim diademati Reges ac Principes fasces sceptraque sua submiserunt, quàm honori legitimo. Adeò virtutum doctrinæque merita justissimis laborum honorumque præmiis sunt provocanda , ut etiam indignus is audiat , qui sine acquisitis indefessi laboris titulis felicissimū sibi spondeat iter ad Heliconem hunc lauriferum. Interea dum non invenio , quid Te ipso satis dignum proferam ; non dubito tamen , quin in sincerâ solenniq; amici Tui formulâ lubentissimè sis acquieturus. DEUM itaque Ter Opt. Ter Max. supplex quæso venerorque , ut honor iste , quem ab Amplissimo ordine Juridico non ita pridē impetrasti , non tam ex patriæ , quàm publicarum privatarumque usu sit certissimo evidentissimoque. Hisce hac vice Nobilissime Dn. Doctorande vale , & , si mereor , benevolum Tuum erga me imērentem affectum serva imūtatam.

EPI.

EPISTOLA GRATULATO-
RIA VIII.

Qua Philosophiæ Candi-
dato de novis Magisterii titulis
ac honoribus gra-
tulamur.

EGregium mehercule est factum,
quod laudatissimo Tuo exemplo
reapse demonstres, quanti æstimes
doctrinam solidam cum præclarissi-
mâ virtute conjunctam. Nec enim
putes aliâ fine prudentissimam Anti-
quitatem olim referâsse editum ho-
noris templum, nisi illud improbo
pertinacique labore expugnatû vi-
disset. Hujus eximii moniti & Tu, ò
optime, probè memor, inania putas
honorum præmia, nullis virtutum
meritis antea conspicua. Quod itaq;
benè vortat! macte hâc ignei ingenii
Tui copiâ beatissimâ, & coronâ mo-
dò indeptâ tanquam indefessi laboris
mercede opima, diu felixque impo-
sterum utere. Sic omnes invidi ali-
quando fatebuntur, Te more syde-
rum desidem quietem cane pejus &

angue odisse. Interea, dum Te ex amplexibus meis hâc vice dimittere cogor, nihil aliud tamen in votis nunc magis habeo, quàm ut expectationem hanc, quam boni omnes de Te conceperunt, non solùm vincas, sed etiam laudabili Tuo exemplo reâpse superes. Superabis verò eandem bono cum DEO, si Tibi modò firmissimè persuaseris, omnibus mortalibus incumbere, ut non solum religiosè orent, sed etiam strenuè laborent. Sed nolo Tibi, in virtutis stadio felicissimo augurio hactenus currenti, calcar addere, ne injurium putes, qui abs Te postulè, quod sponte hactenus abundè præstitisti. Vale igitur, & brevitati litterarum mearum benevolè ignosce, utpote quas amicitia, non verò negligentia nomine Tibi volui comendatas.



EPI-

EPISTOLA GRATULATORIA IX.

Quâ Viro integerrimo dignitatem Consularem faustam
for tunatamque apprecamur.

*Amplissime ac Prudentissime Vir,
Mecænas Maxime.*

Quæ minùs exspectantua, ea lætiora ut plurimum esse consuevère. Quum enim nuper admodum non sine tenerrimo voluptatis nostræ sensu acceperimus, quanto honore hoc ipso tempore auctus decoratusq; vivas atque incedas, quî poteramus aliter, quin Te ad palmarem gloriæ metam felicissimo augurio grassantem, votis exciperemus solennibus. Adeò dulcissimâ optimarum rerum memoriâ, virtutis studio incensi, delectamur. Nec enim putamus solidius gaudium in generosis mentibus excitari posse, quàm si videant debita meritis maximis decerni perfolviq; præmia. Faxis modò Supremus rerum arbiter, ut ad res gerundas nullo

alio titulo quàm consciã prudentiã
Tuã instructus accedas. Sic pacatas
aliquando relinques, quas turbulentas
nunc deploras Civium Tuorum soli-
citudines. Vale

EPISTOLA GRATULATO-
RIA X.

Quã de nactã functione
Scholasticã gratulamur Gymnasti
cujusdam Rectori ac modera-
tori felicissimo.

*Clarissime Vir, Fautor honora-
tissime.*

MAgnum quidem honorem Pa-
rentibus nostris tam in divino
quàm humano jure decretum recor-
damur; ast (si verum fateri liceat)
majorem industriis peritisque mode-
ratoribus deberi, nemo nisi insanus
ingratusque diffitebitur. Postquam
igitur per pulcherrimarum Virtutũ
nifus conatusque in splendidam fa-
mæ optimæ lucem Te vindicãsti; en
honoris præmium brabeonque fere-
nã accipe fronte, & Spartam modò
na-

naſtam , Alexandri triumphis , ac Croeſi Craſſique divitiis potentio- rem nobilio- remque judica ; imò ad rariſſimum Poſteriorum exemplum fru- ctuoſiſſimè orna. Sic non Dei ſolùm ſed etiam hominum favorẽ in cathedrà Tuâ Scholaſticâ copioſiſſimè perſentisces. Sedes quidem , ut noſti , detinerisque hoc ipſo tempore in pul- vere tædioſo. Aſt ſcias nihil meliùs conducibiliusque Te præſtare poſſe , quàm ſi Adoleſcentum , fidei Tuæ comiſſorum comòdis promovendis urgendisque dies noctesque invigi- les. Sed finio , & opto , ut eruditio- nis Scholaſticæ navim adverſus tot e- mergentium malevolorum fluctus maſculè gubernes. Vale.

EPISTOLA GRATULATO-
RIA XI.

Qua peregrinaturum no-
bilem gente ac mente Juvenem,
votivâ proſequimur Epi-
ſtolâ.

SInt alii multi, Nobiliſſime Adole-
ſcens , qui tempus ſuum patriis in
lari-

laribus semper traducere gestiant, & testudinum more domi hærere ament. Tu potius (quod ex animo lætor) laudi Tibi ducis, flagrantissimo proficiscendi desiderio, ad quasvis cœli injurias vieque labores ac molestias invicto occensus, ad exteros ire populos, quæque apud illos salutaria occurrunt, sagacissimò perscrutari oculò. Unde verò desiderium hoc, hicceque peregrinationis amor Tibi nascitur? Certè non aliunde, quàm ex generosâ Tuâ indole. Humiles enim & plebejæ animæ, inquit Lipsius, domi semper resident, patriæque glebæ affixæ hærent. Nobilior contra mens

-- -- *Cælos imitatur & auras.*


Tanto majore proinde laudis encomio est exornandum Tuum, quò hœc ipsò tempore gaudes, propositum. Nimirum tantò peregrinandi studiò flagravit olim fortissimus Græcorum Agamemnon, qui Trojam, Illi urbem principem, & in hâc ipsâ omni victoriâ majus Pergamum, non solum lustrare, sed & fortissimò animò

ex-

expugnare cum aliis non minùs optimis ingeniis est conatus : ita ut summo jure promeritus sit dici esse decus ac gloria sui temporis perpetua. Quid multis referam plurima & summa cum laude peracta Ulyssis itinera? Singula sanè si hic enarrare conarer, desideratâ carerem chartâ. Certè si quis optimum parentem Tuum adspexerit, non minori eundem amore latum de- prædicabit erga laudatissimum peregrinandi studium, dum Te eodem ferri serió vult exposcitq;. Qui enim quæso angulus sit Europæo orbe, quem non lustraverit? Non solùm enim Batavos atque Britannos, sed etiam Gallos, Hispanos atque Italos invisit. Ut silentio hæc vice alias clarissimas, quas passim lustravit urbes, præteream. Quis nescit quod in amplissimo totius orbis emporio fuerit notissimus? Hujus itaque aliorumq; laudabili exemplo excitatus, & Tu, ò nobile Germen, hinc abire, & patriâ relictâ peregrinis posthac vivere in locis constituisti. Non verò imitaberis hodierni temporis peregrin-

grinatores non paucos, qui vix è patriæ telluris conspectu in oras peregrinas digressi, si Galliam limis aliquando adspexerunt oculis, Gallica omnia; si Italiam intuiti sunt, Italica omnia; si alterum pedem in Hispaniã intulerunt, Hispanica omnia; si in Anglia forsan pernoctârunt, Anglica omnia; & undecunque peregrè redierunt peregrina omnia. mores, gestus, ceremonias, vestitum, linguã histrionica temeritare ac levitate probant, jactitant, extollunt, Germanis ac paternis omnibus neglectis, fastiditis, rejectis: Sed ex variis variarum nationũ ac gentium moribus concinnos, & in omni litteratâ humanitate probatissimos Tu Tibi excusurus es mores. O propositum nunquam satis prædicandum! ò modum, quò non solum Tibi, sed & patriæ tristissimis hisce infelicissimi belli temporibus quasi agonizanti consulatur, optimum! Jam enim video, optimeque perspicio, quem Tibi monstret, quemque Tibi ostendat patria dulcissima currum, quo Te super astra vehat, Teque splendidissimo Plejad-

Jadum choro jungat. Jam video ,
 quam coronam ipsa fama è frondibus
 lauri contexat , capiti Tuo lectissimo
 imponendã , ac deinceps in edito ho-
 noris fano maxima Tui cum laude su-
 spendendam. Abi igitur ò optimæ
 indolis mentisque Adolescens , quo
 præclarus Te rapit conatus. Abi eò,
 quo Te abire jubet Parens , omni ho-
 noris observantiæq; cultu prosequen-
 dus. Si ita abibis , quo vult Parens
 venerabilis , tantum abest ut redux
 aliquando factus domi vix Therfiten
 agere, ut potiùs Agamemnonis perso-
 nam maximã Nominis Tui cum laude
 possis sustinere , fiasque nobilissimo-
 rum natalium Tuorum origo eximia
 ac gloria æterna. Quod ut ex voto
 fiat sumus votorum arbiter be-
 nignissimè largiatur.



EPISTOLA GRATULATORIA XII.

Quâ gratulamur Amico
de Nuptiis.

TAndem aliquando vividis intermeratæ puellæ virtutibus Te captum fateris. Vides itaque quanta potestas sit Veneris blandissimæ. Olim quidem sine castâ pudicâq; thalami sociâ vivere parabas, sed jam æternâ fatorum lege convictus, ad amœnissima nuptiarum solennia felicissimè transis. Fallor profectò, utrum sponsam Tuam non de cœlo delapsam, Teq; ipsum ab omni parte beatum dicere debeas? Adeò sereno vultu ridentem nunc intueris fortunam, ut etiam insolentem lubricæ fallacisq; sortis ludum hodie non amplius experiri cogaris. Tu modò vide, ne pulcherrimo mattimonii fructu excidas, sed gaudium nocturnum cum verecundâ thori Tui costâ toties iteres, quoties sonoram in somnis galli vocem audis. Sic reâpse experieris, matrimonium non onus, sed

one-

onerum potiùs omnium lenimentum
fuisse dulcissimum. Intereà dum ge-
nialem lectum liberorum quærendo-
rum gratià ambo intrâstis, diligenter
considerare, ne paccata liberorum
Vestrorum parentum ipsorum fiant
înfortunium. Illud potiùs agite, ut
post peractam hujus vitæ fabulam te-
nellis ramusculis, ex stirpe Vestrâ
prognatis, benè agendi consuetudi-
ne confirmatas multisq; vigiliis par-
tas relinquatis virtutum faculas
splendidissimas. Faxis DEUS tam
sancti vinculi auctor, ut omnes olim
ex Vobis nascituri fûrculi patriis avi-
tisq; moribus clari, intemeratum in-
nocentiæ sanctimonixq; referant ex-
emplar, & post serò ventura tempo-
ra nitido aliquando redonentur cœ-
lo. Vale.

EPISTOLA GRATULATO-
RIO XIII.

Quâ gratulamur alicui
ob recens natum Filium.

NEscio sanè, Amice dulcissime,
quibus verbis lætitiâ meam
Tibi

Tibi satis demonstrarem, postquam audivi suavissimo filio Te nuper admodum fuisse auctum. Succrescat modò, quod ex animo opto, surculus iste tenellus in honoratissimorum parentũ gaudium oblectamentumque speratum, ac multorum mortalium gloriam sempiternam. DEUS certè qui filiolo Tuo facilem felicemque præstitit nativitatem, non committet, ut sub Angelorum, tanquam cœlestium nunciorum tutelâ minimum persentiscat damnum. Tu modò incipe solitudinis Tuæ asperitatẽ sociâ filii Tui curâ blandoque sermone magis magisque lenire. Sic majoribus desideratissimarum virtutum flãm̃is aliquando corripieris. Quod superest

*Faxit Jova potens ut multos Nestoris annos,
Et Pylios vivas salvus in orbe dies.*



EPI.

EPISTOLA GRATULATIO-
RIA XIV.

Qua gratulamur alicui
ob recens natam Filiam.

Vix se capiebat gaudens meus animus, postquam inaudiveram de natâ Tibi pulcherrimâ sobole. Ast dēfissimas tristitiæ nebulas mihi simul objectas cernebam, ubi eandem in puellam comūtatam comperiebam. Nosti enim quàm difficilis custodia in servandâ puellarum pudicitia Parentibus incumbat. Ast quum excelsa Tua indoles cum insigni probitate conjuncta futuram domesticæ curæ disciplinam polliceatur exoptatissimam; non possum tamen quin pro amicitia nostræ consuetudine Te moneam, ut tenellam Tuam prolem ad omnē pietatis castimoniamque legem seriò adsuescas cohorterisque. Hâc ratione non dolebis aliquando de amissâ Filiaæ Tuæ virginitate, sed tanquam pretiosum pignus eandem mittes in Spōsi ceu futuri mariti thalamum pudicum. Sed nolo hac vice memo-

memorem monere, utpote qui pro in-
natâ suâ prudentiâ ipse didicit spon-
teq; hæctenus præstitit, quod virtus in
throno suo jam dudum egregiè com-
probavit. Finio itaq; & ut feliciter
agas, quod agis, ex animo opto.

EPISTOLA GRATULATO-
RIA XV.

Qua Studiosus Patrono
Benefactorisq; suo se insinuat, &
gratulatoriam ipsius simul
respondet.

*Amplissime Vir, Fautor atq; Pa-
trone honoratissime.*

QUod tam diligentem mei absen-
tis memoriam circumferre, &
per gratulatorias nuperrimas ean-
dem reapse volueris demonstratam,
illud officii genus pro eo ac debeo
gratissimo meritò agnosco animo.
Optarem equidem, ut applausum
illum, quem mihi indigno pro huma-
nitate Tuâ hæctenus tribuisti, per mo-
destiæ saltim jura respüere non jube-
rer. Ne tamen de cultu meo, quem
Tibi

Tibi proprium perpetuumque nosti, quidquam decedere videatur, scias velim, me favorem illum, quo me inmerentem hucusque profequi non dubitasti, religiosam grataque mente semper observantissime exosculaturum. Tibi equidem, Magne Vir, optimè sedet, quod præclaras animas nihil efficacius excitet, nihilque uberius alat, quam benignissimum eorum, quos in excelso fastigio positos sciunt, iudicium. Tam allicientem scilicet vim ac gratiam post se relinquit magnorum Virorum dexteritas eximia. Quanquam infelicem infortunatumque me ex eâ ratione non inmerito iudicem, quod affectum illum, quem studia mea hæctenus verè paternum sensere, debito redhostimento rependere non sufficiam. Interea tamen dum officiosissimam voluntatè mihi unice relictam memini, non desinam certè, quin prudentiam Tuam, tanquam tubam sonoram perpetuæ omnium seculorum memoriæ observantissime semper comendem. Quò in votò hæc vice finio, & Te, Patrone

H

hono-

honoratissime, calidissimo voto supremo Numine serio comendatum bene valere atque salvere jubeo optoque.

Responsoria Patroni ad Clientis Epistolam Gratulatoriam.

QUOD divino Numini mei causa supplicare, mihiq̄ue longiorem vitā apprecari voluisti, illum propensissimum Tuum affectum benevolā meritō prosequor mente. Ego contra duplicatam Tibi opto sortem, ex animo vovens, ut ad ultimum usque vitæ Spiritū placidissimum Studiorum Tuorum cursum lætus virensq̄ue quā longissimè extendas, & floridam amœnamque illam ætatem, quā nunc vernas, sic exigas, ut inter fumos aliquando Viros tanquam alter Phœnix felicissimè emineas. Sed quia sine labore invictō desideratam voti mei metam consequi nequis: Idcirco labores velim diligentissimè, & virentis ævi florē benè colles. Optimè enim nosti,
quod

quod nemo in Olympiâ mereatur coronam auream, nisi qui legitimè priùs certaverit. Idè & Tu facias velim, Tibique firmissimè persuadeas, quod indignus is sit vitâ, qui nihil parturit, quod testetur, se vixisse. Imiteris potius Plinianum illum Apellè, qui infelicissimum illum putabat diem, quo non lineam aliquam duxisset. Vale.

Responsorialia Clientis ad Gratulatorium Patroni.

Inæstimabilis thesauri loco veneror in nuperrimum Tuum mihi imerenti exhibitum affectum. Optarem equidem ut sanctissima illa singularis benevolentia atria mihi nuper admodum patefacta vidissem, tunc maximam gaudiorum ac felicitatis meae partem tecum dividere potuissem. Interea dum virtutis opus iudicas eximium, non coepisse solum, sed in observantia quoque cultu perseverasse; en constantiam meam calidissimo obfigno voto. Votum itaque Tuum Tibi iterum reddens, ex animo opto,

H 2

ut

ut in excelso illo fastigio, ad quod providentia Divina Te Clementissimè voluit evectum, quàm diutissimè florens virensque degas. Et quum nullū majus devotissimi mei pectoris pignus Tibi hac vice offerre possim, purpuram tamen Tuam magnificam cum officiosa perennantis felicitatis formulâ Divino Numini indefinenter comendare non cessabo.

Responsoria ad Gratulatoriam Nuptialem.

QUOD Hymenæum nostrum candido voto ornare ac prosequi voluisti, illud officii genus divitis muneris, loco meritò agnosco. Optarem equidē ut ipsemet in cœlo Tuo Jovem, ac in domo Tua herum representare hoc ipso tempore sufficeres. Ast quum flagrantissimum amoris Tui ignem Castaliis Musis unice hactenus consecrâris; non possum tamen quin Te simul moneam, ut vitandi majoris scandali causâ tandem aliquando illibatæ cuidam Virgini corpus Tuum concedas. Obvertis
qui-

quidem, libero lecto nihil beatius, nihilque felicius esse. Sed scias velim conjugium legitimū DEO longè gratius acceptiusque esse, quàm continentiam imundam. Signatas itaque Conjugii tabulas Tibi quantocyùs tradi cures. Sic æternum virentem Divini Numinis favorem reapse experieris, nec opus habebis tot malevolorum vocibus sinistris obnoxius imposterum vivere. Vale & rem Tuam feliciter gere.

EPISTOLA GRATULATORIA
ULTIMA.

Qua Amicus Familiaris
suidiem natalem votivâ profequitur acclamatione.

EX eo tempore, quo in notitiam
Tuam perveni, ita animum meū
ad Te rapuisti, ut nulla temporis diurnitas, nullaque locorum intercedo tantam familiaritatem, tamque arctè constrictum amoris vinculum dissolvere ac distrahere potuerit. Quid mirum igitur est, quod redeun-

te natali Tuô bona dicam verba, & veterem illam olim sincerè stabilitã amicitiaẽ legem cordatè iterum renovem. Quanquam imparem me videam, quod tot lectissimis benevolentiaẽ Tuæ pignoribus nihil dignũ offerre sufficiam. Interea tamen ne jucundissimam benevoli Amici Tui memoriam prorsus deletam omineris; en natalem hunc Tuam cum aliis multis felicẽ fortunatumque Tibi precor. Faxit Deus, ut conatibus Tuis litterariis multis mortalibus reãpse prosis, nec prius natale cœlum repetas, quàm si vitæ hujus ærumnosæ fueris fatur.

Hactenus Votivarum Gratulatoriarumq; Epistolarum usum evidentissimum per Exempla delineavimus. Nunc ordo nos vocat, ut videamus, quid in recessu habeant Nuncupatoriæ seu Dedicatoriæ. Sepositis itaq; anterioribus duobus primis Capitibus, pergimus nunc ad III.

CAP.

CAP. III.

De

EPISTOLIS DEDICATORIIS.

Usitatissimum hocce Epistolarum genus hodiernis moribus esse consuevit. Nam quando Scriptum aliquod sub Regis, Principis, magnique cujusdam Viri nomine publicamus, tunc comendamus illud & petimus simul, ut illud ipsum sereno adspiciat vultu. Sunt verò Epistolæ Nuncupatoriæ generis demonstratiui; laude enim tam scripti publicati, quam comendatione illius, cujus favori ac patrocinio illud volumus consecratum, absolvuntur. Magna proinde opus est cautela, ne Epistolographus Lectori occasionem subministret de humili abjectaque mente sinistrè judicandi. Hoc enim si fecerit, in suspicionem sive adulationis sive turpis cujusdam *Μιλανίας* culpa sua incidet. Certè, quæ ad Reges Principesq; mittuntur Epistolæ dedi-

H 4

cato-

catoriæ, ita disponi debent, ut primam partem occupet personæ nostræ extenuatio. Secundam causæ, quæ nos ad offerendum ingenii partum excitârunt : Ubi tam publicæ quàm privatæ causæ breviter possunt comemorari. Tertiam partem absolvat votum sincerum, pro incolumitate, sceptro atque fascibus Regis Principisque conceptum. Solemus aliàs hisce in Epistolis initiũ scribendi facere ab illustri aliqua sententia, sive quacunque re ad cognoscendum utili, jucunda ac necessaria, aut à Studiis nostris; nonnunquam etiam à re ipsa, sicut ex progressu ad oculum luculenter patefcet. Sed ne in cortice tantum natemus, initium faciendum erit à Personis Illustribus; Deinde etiam ad Consiliariorum, Senatorũ, Patronorum Amicorumque Synedria ac contubernia properabimus. Faxit modò DEUS, ut omnia quæ meditatur, cedant ex animi sententia. Et sic adornatis Epistolæ Dedicatoriæ partibus membrisque, rectà per-

gimus ad Epistolam I.

EPI-

EPISTOLA DEDICATORIA I.

Ad Regem directa.

Non longè arcessendæ sunt rationes, Rex Potentissime, quas excusandæ audaciæ meæ debeam præfigere, quod levidense hocce scriptum Majestati Tuæ consecrare nunc sustineam. Nimirum quum inter prima pietatis suæ officia crediderint Gentiles, ut selectiorum fructuum primitias suis exhiberent auctoribus; Multò certe religiosius hæc jura nobis, utpote meliora doctis, sunt observanda erga illum, cujus Virtutibus invictis per tot annorum decursus felicissimè hæctenus sustentatos nos vidimus. Quanquam Ego, tanquam infimus Majestatis Tuæ Servus ex eâ ratione non inmeritò infelicem me judicem, quod imparem me videam ad exprimendam Regii excelsique Tui Genii imaginem illustrissimam. Ne tamen in er tot sincera obsequiorum certamina solus videar obmutuisse, malui potiùs ad regium Tuum thronum cum exiguò lauri foliò accedere.

H 5

dere,

dere, quàm in ingratisſimorum hominũ caſtra abire, Quod ſi, ò Auguſtiſſime Rex (qui Tuus erga afflictas Muſas eſt Zelus) parvam hanc laurum æternis ſemperque virentibus Virtutum Tuarum frondibus adjeceris, ſpes eſt fore, ut etiã humillimus Majeſtatis Tuæ Servus ſub eãdem tanquam umbroſã ſublimiſque cedro tutò requieſcere impoſterum poſſit. Quo in voto deſino, & ut Majeſtas contra temporum fatorumque minas tranquillum diuturnumque teneat imperium, ſubmiſſè precor,

EPISTOLA DEDICATORIA II.
Ad Regem Potentiſſimum.

QUo animo ruſticus ille Regi ſuo pomum rapamve obtulit; iſto ego Majeſtatis Tuæ chartaceum hocce munuſculum. Si pretium illius ſpectes, exiguum eſt fateor, multumque infra dignitatis Tuæ eminentiam poſitum. Sin animum, munuſculi vilitas veniam merebitur devotiſſimi ſtudi

di

dii æstimatione. Ita enim solet in excelso posita virtus plebeix largitionis dona pendere; sui que; cultum majori in pretiõ quàm pretium ipsum habere. Quam Regiæ benignitatis indolem cum totus terrarum orbis in Te prædicet, non dubito, quin hoc ipsum augustissimo Nomini Tuo sacrum munusculum placidâ serenaque fronte sis accepturus. Equidem testis mihi sit DEUS, quod nihil tam seriõ optẽ, quam ut amplissimas modò provincias Tuas in sanctissimõ illõ sanctissimarum legum tenore ac vigore ad ultimam usque vitæ Tuæ horam felices fortunatasque videas. Sed ne tempora Tua, splendidiori purpuræ consecrata, humillimo hocce scribendi genere ulterius remorer, sisto hic calamũ, & Divinum Numen supplex quæso venerorque, ut vivas hilaris, imperes incolumis, floreas amabilis, ac Virtutis Tuæ gloriam in posteros Tuos transfundas venerabilis.

EPISTOLA DEDICATORIA III.

Ad Principem.

AUfus profectò nunquam fuiſſem, Sereniſſime Princeps, tantillo cum munuſculo in tanti Herois conſpectum prodire; niſi omnes, qui te clementiſſimum ſemper ſunt experiti, audacem me eſſe ſuo juberent exemplo. Etenim ea eſt Magnorum Geniorum indoles atque natura excelsa, ut niſi niſi vitia contemnant, niſi niſi factum ſpernant: Rectos autem virtutis exploratiſſimæ cultores, ſi vel ex humili caſa descendant, aut ad minimum balbutiant, ſingulari favore proſequantur. Quam illuſtriſſimam ſanctimoniæ officinam quum beatiffima intemeratæ conſcientiæ tranquillitas magnificentiſſimè hætenus in Te exſtruxerit, ego quoque ſpem maximam concepi, fore, ut etiam mihi indigno non clauſa viſurus ſim ſplē didiſſima iſta Clementiæ Tuæ inuſitatæ atria. Accipe itaq; eo, quo ſoles animo, primitias hæſce Academicas, quas ante Principale Tuum delu-

delubrum depositas hîc vides, & favorem illum, quem omnibus aliàs bonis elargiri soles, etiam mihi immerenti impertiri non dedignare. Quod superest DEUM supplex convenio, ut civibus Tuis in tanta dulcissimorum optimorumque bonorû ubertate beatissimè exsultantibus debitam obedientiã ingeneret, Tibique tanto Principi ac Heroi Nestoream vitam propitius posthac concedat, utpote qui meritis Tuis sonoras omnium seculorum tubas in superbam Tui laudem jamdudum provocâsti, & provocatas jam tum singulis diebus momentisque prudentissimum Tuum sceptrum æternis præconiis personantes adhuc audis. Sed quorsum me rapit igneus Principis mei amor? Finio itaque, & Te Clementissime Dn. fortissimo sanctissimorum Angelorum præsidio, me verò excelso favori Tuo observantissimè humillimeq; comendo.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA IV.

Ad Principem.

AUdax sanè facinus præsens hoc-
ce aggreditur scriptum, quod
nulla eruditionis suæ fiducia sufful-
tum, ad tantum Principem affectat
viam, & oculos istos in se converte-
re non veretur, ad quorum fulgorẽ ta-
men non possunt non rubore suf-
fundi, qui suæ se tenuitatis consci-
entiâ metiuntur. Et poterat certè mo-
destius quibusdã videri, minùs augu-
stum Nomen tantillo operi præscri-
bere, nisi constaret sublimes istas
mentes pauperculis etiam chartis
interdum vivere contentas. Scilicet
magnorum excelsumque spirituum
dos eximia putatur, ad mediocrium
etiam hominũ studia aliquando se de-
mittere. Nec enim aliud gloriosius
in conscienciâ ipsorum exstructum
manet theatrum, quàm interior erga
litteras Litteratosq; stimulus. Hujus
itaque asserti bonitate & ego erectus,
ad augustissimum Celsitudinis Tuæ
pul-

pulvinar pagellas hæc levidentes, eò quò par est cultu, submissè depono. Ego quidè nullum per omnem vitam lætiores habiturus sum diem, quàm si modo tranquillam Clementiæ Tuæ umbrã pro decantatâ illâ omnibusque bonis notâ benignitate mihi promittere ausim. Quam si exoptatissimis à Celsitudine Tua obtinero auspiciis omnis felicitatis compotem me factũ gloriabor. DEUS TE, Serenissime Princeps, sospitet ac conservet in longissima ætatum tempora. Tua enim salus, nostra salus: Tua felicitas nostrum emolumentum ac comòdum. DEUS TE servet!

EPISTOLA DEDICATORIA V.
Ad Rempublicam, ejusq;
Proceres Amplissimos.

ANxiã certè deliberatione diu mecum agitavi, Prudentissimi Viri, utrum citra audaciæ notam fas esset exili hocce scripto in venerabilem Vestrum & tot meritis clarissimũ hoc ipso tempore prodire conspectum. Vicit tamen (ut verè ac ingenuè

genuè fatear) pudorem meum sanctissima illa Amplissimorum Nominū Vestrorum veneratio, quæ fluctuantis animi assensum in eam tandem deflexit partem, quæ bonorum omnium vota æmula diriguntur suffragatione. Ita enim comparati fermè sunt Clientelares animi, ut favorem Eorum submissè ambiant, quorum benignitatē in juvandis promovendisque laudatissimis conatibus reapse sunt experti. Et quum Ego etiam præter alios Virtutum Vestrarū admiratores, Vos Atlantes ac Proceres, splendidissimā hâcce laudis adorea nunquam non viderim incedentes; ab omni prorsus pietatis sensu remotus irem, si non id ipsum, ad quod reapse præstandum tot egregia me hortabantur exempla, quantocyus exsolverem. Meritorum equidem Vestrorum campum gloriosissimum ut hic operosè decurrā, tantum abest ut mihi sumam, ut potiùs magnifica Vestra Nomina, perpetuæ memoriæ aliàs comendata, tacito venerer silentio. Scilicet magnorum excellorumque Spirituū
maxi

maxima dos atque gloria est, ea con-
temnere, quibus vulgus potissimum
assurgit, benefactorum autē solam
conscientiam habere testem. Alio-
qui quàm diffusa laudum materia se-
gesque hic effloresceret, si religio-
nem, si prudentiam, si incredibilem
Reipublicæ, bonorumque omnium
amorem, si profusissimum erga studia
litteraria affectum ostendere vellem.
Quas virtutes omnes neque capere
animus, neque voluntas exprimere
potest. Ignoscite itaque ô Proceres
Reipublicæ Vestræ Maximi, quod
laudes Vestras, quibus enarrandis de-
prædicandisque ne alter quidē Pericles
sufficit, venerabundus hic saltim præ-
teream. Respicite potiùs, si mereor,
humillimum devotissimi pectoris mei
cultum, utpote qui nihil aliud spirat,
quàm ut pro innatâ Vobisque propriâ
bonitate concedere modò gaudeatis,
me non solùm esse, sed reverà etiã di-
ci servum Vestrum observantissimum.
Vos eximio favore Vestro me erigite;
ego contra humillimâ observantiâ
Vos indefinenter iterum adorabo.
Sed

Sed ne horas Vestras tot mortalium
 com̄odis promovendis natas opero-
 fiore sermonis ambitu diutiùs remo-
 rer, finio hic, nihil magis in optatis
 habens, quàm ut tenue illud, quod hìc
 intuemini specimen Academicũ, fe-
 renâ fronte adspicere, & favorem il-
 lum, quẽ ex generoso pietatis Zelo al-
 iis quoq; Clientibus elargiri soletis, et-
 iam mihi im̄erenti impertiri non dedi-
 gnemini. Sic fiet ut materiã habiturus
 sim æquissimam tantum mihi im̄eren-
 ti exhibitum affectum religiosẽ exo-
 sculandi: Et hãc ipsã spe erectus, nul-
 lam amplius mihi præreptam putabo
 notissimam istam laudabiles conatus
 adjuvandi promptitudinem Vestram
 ipsis astris inferendi. Quod superest
 vivite in perenne seculi decus ac Po-
 sterorum Vestrorum ex emplum
 indelebile.



EPI-

EPISTOLA DEDICATO-
RIA VI.

Ejusdem Argumenti.

QUur Nobilissimis potissimum
Nominibus Vestris, Viri Magni-
fici, Dissertationem hanc consecra-
re sustinuerim, non una sed diversæ
sunt rationes. Potissimæ illarum
sunt; partim ut perspiciatis, quantis
obsequiis Vobis obstrictus vivam;
partim etiam ut sciatis, nihil mihi ju-
cundiùs esse, quàm si ad sacraria Ve-
stra æternùm obligatum afferre suffi-
ciam animum. Scilicet optima hæc
clientelæ animi est indoles, ut ob-
servantiâ nunquã intermoriturâ pro-
vocet æternitati ipsi data Nomina. A
qua consuetudinè rantũ abest, ut re-
cedere unquam voluerim, ut potiùs
eandẽ omni nisu exosculari studue-
rim. Et ne ego inter tot concerta-
tiones solus obmutuisse videar, ma-
lo potiùs imitatione optimorum ex-
emplorum inflamatus, exili hocce
Scripto nomina Vestra, cedris æter-
nisque amaranthis dignissima, conde-
co-

corare, quàm culpa mea comittere, ut in debita mea erga Vos observantia quidquam desiderari videatur. Accipite itaque, ò Patriæ nostræ pignora lectissima, devotissimum hunc sinceri pectoris cultū, & me, si modò merebor, sub patrocínio Vestro ulteriùs defendite. Quem favorem si debito obtinero modo, non minimã felicitatis partem inde me indeptum esse confidebor. Sed ne tempora Vestra, tot saluberrimis fructuosisque meditationibus destinata, frigido hocce schemate ulteriùs remorer, finio hac vice, nihil magis in votis habens, quam ut omni laude ac invidia superiores, vivatis in perennẽ seculi gloriam incrementumque maximum. DEUS in Vestris habitet Curiis, ut tam publicum quàm privatam comòdum desideratissimum omnigenæ felicitatis persentiscat obtineatque complementum.



EPI-

EPISTOLA DEDICATO-
RIA VII.

Ejusdem cum prioribus
fermè commatis.

EA in Patriam universam & comu-
ne bonum Vestra efflorescunt me-
rita, ut magnitudinem Eorum ne-
mo mente satis assequi, nedum pro
dignitate exprimere sufficiat. Quæ
in eo etiã insigniter apparent, dum
præ aliis splendida hæc laudis adorea
conspicui inceditis, ut ornetis ac ju-
vetis, quos aliqua saltim virtutis
opinionem non destitutos nostis. Et
quum Ego etiã ab hac spe nunquam
degenerem retulerim animum; non
potui certè aliter, quin præsens hocce
ἐν: χρυσοῦ, tanquam religiosissimæ men-
tis meæ documentũ indubitatum, ad
pedes Vestros humillimè deponerem.
Accipite itaque hoc ipsum vultu sere-
no, & me (quod voveo & opto) so-
lita Vestra benevolentia ulterius com-
plecti non desinite. Quam gratiã si ex
animi mei sententia obtinero, satis
feii-

felicem fortunatumque me putabo. Ego sanè in eo ero totus, ut tantis Virtutibus Vestris, quibus præ ceteris mortalibus eminentis, æternum obligatū ipso facto atque opere cognoscatis animum. Sed ne curas Vestras aliunde plūs nimio districtas, diutius turbē, claudo hac vice mentis meæ, in merita Vestra pronæ, tesserā humiliam, ex animo vovens, ut Supremum Numen omni benedictionis genere coelitus Vos cumulet, & consilia Vestra in totius patriæ totq; afflictarum Musarum salutem clementissimè gubernet.

EPISTOLA DEDICATORIA VIII.

Ad Senatum Oppidanum
ejusque membra singula.

Solennis illa ac laudata est consuetudo in ipso librorum limine patrociniū quærere Virorum Prudentissimorum, quò nimirum à contemptu malevolorū vindicare se possint illi, qui utilitati publicæ omnes suas devo-

devoerunt cogitationes. Vivimus enim hodiè sub tali proh dolor! seculo, ubi calumniis certare, egregia laus censetur. Adeò proprium infelicissimi nostri seculi malū invaluit, ut maledictis circumveniamus, quos virtute forsan superare non didicimus. Livor itaque atque obtrectatio passim bonorum operum noxia sunt impedimenta ac venena exitialia. Cui rei ut ego quoque obviam irem, Vobis potissimum Amplissimi Viri, offero Dissertationes meas solennes. Accipite easdem tanquam oppignoratae mentis indices sereno placidoque vultu, atque me, si tantum affectum devotissimè merebor, inter virtutum Vestrarum cultores admiratoresque benevolè numerate. Valete Patroni Virique honoratissimi, & rem Vestram in dulcissima patriæ Vestrorumque præclarissimorum Nominum immortalem gloriam felicissimè gerite.



EPI.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA IX.Ad Mecœnatem Eccle-
siasticum.

IGnosce, Venerabilis Senex, nego-
tius Tuis fortassis intempestivius ob-
repenti. Ut pius gratusque sim, mo-
lestus esse cogor. Quum enim be-
nevolentia singulari, meritisque ma-
ximis, quibus Musas meas semper lau-
dabiliter erexistit, aliquid esset repo-
nendū, obtulit sese Exercitium hoc
Academicum. Me equidem non te-
net tantus nugarum mearum amor,
aut latet pretium, ut venerabili Tuo
conspectu easdē dignas judicārim: Sed
spem tantūm concepi, fore, ut fir-
missimā inde benefactorum memori-
am, & æternūm Virtutibus Tuis ob-
ligatū cognoscas animum. Quod de-
siderium meum, si decenter obti-
nuero, fatis erit, & votorum meo-
rum sumā indeptum me fuisse, con-
fitebor. Nec quicquam de felicif-
simo intentionis meæ successu du-
bito. Vel enim logi Siculi, ut Atti-
cor-

corum gratiam promereantur, sola efficit bonæ mentis testificatio, quæ, (ut Romanus ait Sapiens) parva extollit & vilibus rebus pretium adjicit. Ipsorum Deorum æquitas movere nos debet, utpote qui non in victimis opimis, sed in piâ rectaque voluntate venerantium honorem suum collocant. Sed & digniorem officii mei persolvendi occasionem me habiturum confido, si fortuna ventos à puppe secundos spiraverit, Patronos, & ex iis Te potissimum, tanquam exploratissimæ fidei, fortunatum incolumemque quam diutissimè servaverit. Sic enim res habet. Nemo potest emergere, nisi illi Fautor comendatorque obtigerit. Ejus igitur boni ut ego quoque compos fiam, pro salute Tuâ, Venerande Senex, Summum litteratorum Patronum Parentemque, DEUM Ter Opt. Ter Maximum supplex etiam atque etiam quotidie venerabor.



I

EPI.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA X.

Ad Jctum.

FRontem non nemini posuisse videbor, quod benevolentia^e Tuæ fores pulsem hoc modo. Si enim, quidnam levius esset, interrogarer, hanc Dissertationem meam nominarem; nec tamen rubori mihi fuerit, Nobilissimo Nomini Tuo eandē consecrare! Meminisse debebam illius, quod apud Ciceronem extat, non agendam imperito scenā coram Roscio, jocandum coram L. Crasso. Nimirum sicut de Q. Scævola memoria^e proditum est, jurisperitorum eloquentissimū, eloquentium verò omnium jurisperitissimum eundem fuisse, ita de Te omnes hodiè, quibus rarioris ingenii Tui monumenta videre datum est, nobilissimorum eruditissimum & eruditissimorum nobilissimum esse, sentiunt. Taceo alia, ut ut magna, nunquam tamen virtutibus Tuis paria: Quoniam dictis de Te plurimus, ampliora semper & digniora restant.

Cete;

Ceterum, hæc potissimum causa me movit, ut Tibi præsens Exercitium Academicum inscriberem, quod singularem illam benevolentiam, quâ, velut solari radio Studiosorum animos rapis ac pellicis in æstimum admirationemque Tui, hæc velut publicam observantiæ meæ testificatione venerandam censuerim. Tui, Vir nobilissime, pro illâ ipsâ virtute, Tibi propria, non doctos oculos, quibus aliàs erudita censere consuevisti, adferes, sed qua serenitate latinas Græcasque provocas Veneres, eadem hanc meam excipies Dissertationem. Vale.

EPISTOLA DEDICATO-

RIA XI.

Ad Mæcenatem Politicum.

Mitto Tibi Dissertationem politicam, quam sine præscriptione Amplissimi Nominis Tui inauspicato prodituram credidi. Sum enim Tibi pluribus nominibus devinctus. Nec quicquam huic facto meo detraxerit.

perversa dedicantium consuetudo, qui alia omnia quærunt, quam ut animum gratum sinceramque devotionem hoc modo declarent. Testor fidē, & illum, qui Musis nostris præfidet, hoc unicum mihi curæ esse, ad hoc vivere, ad hoc vigilare, ad hoc lucubrare, de hoc cœlum frequentissimè fatigare, ut Patronis Studiorumque meorum Promotoribus rationem probem, eorumque erga me benevolentiam imposterum quoque conservem! Hoc si obtineo, satis felix beatusque sum, nec quicquam concedo Timotheo illi, quem vulgò pingebant κοιμώμενο τὴν δὲ τύχην τῶς πόλεως αὐτῷ περιβάλλεσθαι ut est apud Plutarchū in Sullâ. Eò verò intentiorem me esse jubent tam inimica tempora, quibus civilem sapientiam paucissimi eò pretiò, quò merebatur, non æstimant, plerique omnes calumniantur ut studium inutile, vel spernunt ut leve. A quibus Tu, Maxime Vir, diversissimam fovens sententiam, quicquid ad promovendos civilis prudentiæ Studiosos facere potest, sine

sine fastidio efficis ut appareat. Est quidē hoc ipsum, quod nuper admodum publicavi, juvenile specimen, accuratum, ut nosti, censorem non ferens; sed cogitabis hic Martialinum illud:

*--- Et parva nonnulla est gratia
mensæ,*

Appetitur posito vilis oliva lupo.

Ut aliquando digniora maturioraque suspici, & simul offerri possint, in salute ac suffragiō Tuō exoptatissimō, Vir Nobilissime, est situm. Igitur benè & quàm diutissimè vive ac vale cum universâ Familiâ Tuâ clarissimâ.

EPISTOLA DEDICATORIA XII.

Ad Patronum Politicium
ejusdem fermè commatis argumentique.

Quam probè mihi hætenus sedebat promissum verbis scriptisque litteris à me inquitum, id ipsum nunc, Patrone honoratissime, ex præsentis colligere poteris specimine. Quamquam diffiteri nolim, quod leviculæ

hæ chartæ tanti Viri aspectu sint indignæ : Spero tamen Nobilissimam Amplitudinẽ Tuam hâc in parte idem facturam, quod habita potius æquitas quàm stricti juris ratione benigni Creditores solent, ut particulâ jam tum solutâ, tantisper sustentari se patiatur, donec aliquando uberiori ingenii proventu sortem integrã rependere valeam. Quod si benevolentiam Tuam publicâ hac Nominis veneratione arctiùs mihi conciliatam intellexero, ad uberiores doctrinam eminenti auctoritatem Tuam, quâ maxime indigeo, mihi præstò futuram confido. Ast ne loquacitate meâ tempora Tua, variis infinitisque negotiis aliàs districta, ulteriùs remorer, finio hac vice, & TE, Patrone venerabilis, protectioni divinæ, me verò flagrantissimo affectui Tuo ex antiquissimâ votorũ formulâ sanctè sincereque comendo ; utpote qui semper ero indesinenterque manebo

Nobilissimi Nominis Tui

Cultor cliensq; observantissimus.

EPI.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA XIII.

Ad Benefactorem, mul-
tis, iisque maximis meritis no-
bis cognitum.

Mitto hic Dissertationem Philo-
sophicam, in scriptâ Nomini Tuo
amplissimo, semper apud eos in ve-
neratione futuro, quorum interest
vacare faniori Philosophiæ. Factum
audacissimū interpretabuntur, qui sin-
gularem erga me affectum & benefi-
centiam Tuam nesciunt. Ego pro-
bè mihi conscius; jam pridē facem ce-
reumque præcessurum fuisse Musis
meis, nisi abs Te novis subinde be-
neficiis, & salutaribus consiliis essent
excitatae, debui hoc, quicquid &
qualecunque est, in tam sublimi
tholô appendere. Scilicet qui Dia-
nam in venatione propitiam sunt ex-
perti, testandæ gratitudini sufficere
putabant, vel dentem sacris limini-
bus affigere; nec defuit, qui bipen-
nem suam utrinque retusam, & nullo
jam latere scindentem, Minervæ de-

dicare ausus est, quod sciret, non donarii pretium, sed consecrantis animum à Diis potissimum spectari. Parem iudicii æquitatē non tam speravi, quàm aliunde cognitam habebā, quum exilis Dissertationis frontem illustre nobileque Nomen præscriberem. Tu enim, Patrone Summe, amas, juvas, ornas Studiosos, non ut imputes, sed quia aliter facere non potes. Et quum innumera præstitisti, amplissimi redhostimenti loco Tibi manet bonus animus. Quæ causa est, ut comunem formulam favoris expetendi, parum necessariam hic existimem. Interea vale, Fautor Patroneque honoratissime, Synedrii Tui palladium ingens, unicumque præsidium meum.

EPISTOLA DEDICATORIA XIV.

Ad Parentem directa.

Tanta Tibi, Venerabilis Dn. Patris, debeo, ut quid in iis primum, quidve secundum celebrem difficilis mihi sedeat æstimatio. Adeo
in-

ingentibus Tuis beneficiis me pro-
pè obrutum novi. Tu enim pro lau-
datissimo vereque paterno affectu
adolescentiã meam, statim sub primum
vitæ meæ exordium, peritis fide-
busque Præceptoribus com̃isisti, &
ut mihi benè esset, nullis sumtibus,
nullisque vigiliis pepercisti. Utinam
nunc parem pietatis filialisque obser-
vantiaë fructū, Tibi Genitori meo,
post DEUM sumè venerando, offerre
sufficerē? Ast quum nullum aliud ve-
nerationis debitaë pignus mihi reli-
ctum nôrim, quàm humillimam,
nullaque temporum intercapedine in-
termorituram observantiam; recipies
tamen ejus loco, & quidem hâc vice
præsens publicum in Academicâ luce
natum industria meæ Specimen, do-
nec aliquando maturioribus cogita-
tionibus reservatus, minis erubescen-
di scripti consecratione senilem
Tuam prudentiam exhilarare non
prohibear. Me equidem quod atti-
net, nullam meliorem observantiaë
meæ mercedem tulisse censebor,
quàm si modò lætus inaudivero, Te

I S

sanum

sanum vegetumque leviculas hæc, quas religiosa manu menteque hic exhibeo chartas, sereno benevoleque vultu adspexisse. Quâ fiduciâ erectus, hac vice voti mei metam sumamque obsigno, & ut Divinum Numen Tibi istû, quô mihi omnibusque bonis prodesse gaudes animum, proprium perpetuumque faxit, indefinenter implorabo.

EPISTOLA DEDICATORIA XV.

Ad Tutorem Fide-
dignum.

QUò plura sunt, quæ muneris mei me admonent, eò minus præteritarum rerum memoriã depono. Tu enim, Honoratissime Dn. Tutor, unus is semper fuisti, qui desideratissimi Parentis mei vices laudabiliter hæcenus implevit. Et quamvis Tibi illibata tantorû mihi indignissimo minimoque exhibitorum beneficiorum conscientia pro deprædicatione singulari sit; filere tamen nolui, sed
firmis-

firmiffimam infinitorum benefactorum memoriã coram parterno Tuo vultu reãpse demonstrare volui. Accipe itaque, ne ingratus vivam moriarque, hanc ipsam Dissertationem Academicam, quã præsentem hic intueris, eo animo, ut à filiõ adoptivõ laudẽ Te accepisse sentiam. Quã spe suffultus, finio, & ut mei bono in se-ros æternumque virentes Nestoris annos diu superstes maneas, animitus exopto.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA XVI.

Ad Affinem.

Veniunt ad Te meditata, quæ nuper admodum prelo subjeci, Affinis honoratissime, & veniunt profectò non una de causa: Sed omnes expromere, non est epistolii hujus. M. Catonis Censorii vox fuit in honore semper habita à sapientissimis Viris, Cicerone, Columella, Symacho *non minus otii quàm negotii rationem extare oportere.* At cui magis vi-

tæ meæ rationē reddere debeo, quam
 Tibi, cui, postquam à parentibus di-
 scessi, primas amoris partes defero, Af-
 fini Benefactorique optimo maximo?
 Ea quidem ingenii mei tenuitas, ea
 lectionis inopia est, ut ex hōc Scriptō
 parūm egisse videri possim. Sed quid?
 Præstat parūm quàm nihil. Tu, Affi-
 nis optimè, conspectis exilibus hisce
 ad animum revocabis, quod Apulejus
 inquit, *omnibus bonis in rebus cona-
 tum in laude, effectum in casu esse.*
 Quod si favere perges, & quod hæcte-
 nus abundè fecisti, consiliis ac libris
 studia mea juvare, spes est fore, ut ali-
 quando cultum & observantiã Nomi-
 nis Tui majore cum curâ elaborati
 Scripti consecratione testari possim.
 Id verò ut facias, ignarus sim bonita-
 tis Geniique Tui, si pluribus rogem.

EPISTOLA DEDICATO-
 RIA XVII.

Ad Præceptorem.

Offero primitias studii Philoso-
 phici, nec, quod alii fortassis fa-
 cerent,

cerent, veniam peto. Nam audaciæ impudentiæq; reus essem, si nihil offerre. Nullum enim venerabilis mihi nomen quàm Tuum, quia per aliquot annos Præceptor fuisti, hoc est, majoribus quàm ipsi Parentes beneficiis mihi cognitus. Illi vivere dederunt; Tu bene vivere docuisti. Nec enim tam omnium gessisti curam, quàm singulorum & mei peculiariter. Quid de ratione dicam, quâ non circumduxisti nos in iisdem vel parùm utilibus per multos annos, ut pleriq; solent, sed in brevem mollemque disciplinarum tramitem induxisti? Haberes jam à me longè doctius, limatius ac præstantius Nomini Tuo consecratum scriptum. si magis facilem materiam Tibi artificis fictoriq; meo ducendam ac formandam præbuissem. Unde si quid bene in hac Dissertatione est positum, id omne fidei dexteritatiq; Tuæ acceptum fero, & quantâ maximâ devotione possum, gratias Tibi ago sincerissimas, easque maximas: Si quid Tibi displicuerit, si quid peccatum erit, id omnino meum par est videri. Sic ve-

rò simul existimes velim, etiamsi quid ex thesibus istis placeat, certò mihi persuasum esse, nondū officio meo me fecisse satis. Nisi enim majoribus aliquando argumentis manifestum faciam, Te Præceptorē mihi fuisse, næ gravissimis illis laboribus, rarissimæ fidei, flagrantissimo amoris ac honestissimis desideriis Tuis decoxi. Vale.

Alia ejusdem argumenti
Epistola Dedicatoria, & quidem
in ordine XIX.

EN, Vir Clarissime, Dn. Præceptor non uno nomine æstimande, quam conscripsi Dissertationem Academicā, debui Tibi; nec hanc tantum, sed quicquid etiam in politiori litteraturâ, tot tantisque difficultatibus involutâ, per ætatem capere possum. Habui enim Te in Latinis Græcisque Præceptorē fidelem, perspicuum ac industrium. Quas dotes qui ad formandum poliendumq; juvenile ingenium adferunt, nullo præmio dignè remunerari, nullisq; laudibus satis extolli queunt. Utinam
tām

tàm bono Præceptori paria facere, & æquè bonum discipulum me approbare possim ! Interim dum nihil habeo, quod tot laboribus, tot horis in comoda mea impensis, dignum sit, æqui boniq; consule hoc quaecunq; devotissimæ mentis donarium. Nosti, quod à Veteribus dictum sit, animū munerum esse optimum. Hunc affero sincerum, pium & benefactorum memorem. Imò, si nondum exsolvi, quod debeo, confecro Tibi me totum. Cujusmodi donum quum Aeschines pauper auditor Socrati quondā obtulisset, visus est parē Alcibiadis animum & omnem Juvenum opulentorum munificentiam superasse. Certè in præsentiarum quod præter Me ipsum dare ac dicare possim amplius, non reperio. Interea vale ac benevolentiam in Tuam persevera

*Optime Vir, vereq; Pater mihi,
Troica digne.*

*Secula, & Euboici transcendere
pulveris annos.*

EPI.

EPISTOLA DEDICATO-
RIA XIX.

Ad Avunculum.

EN beneficiorum multitudine ob-
rutus ac fermè oppressus, Virtuti-
bus Tuis, honoratissime Dn. Avun-
cule nunc libo Dissertationē hanc A-
cademicam. Utinam tamen ean-
dem, tanquam dignissimā materiem
Amplissimo conspectui Tuo offerre
sufficerem. Ast quum à me ejus-
modi votum vix ac ne vix concipi
inirique possit, non dubito tamen,
quin contentus victurus sis exilibus
hiscē chartis, donec aliquando ma-
turiore aliquo Scripto Te exhilarasse,
par inveniar. Nihil aliud enim levi-
dēsis hicce conatus meus demon-
strabit, quàm officiosissimam & tot
ingentibus beneficiis jam tum ante
oppignoratam mentem. Accipe
itaque, Avuncule Venerabilis, Clie-
tis Tui observantissimi partū tenerri-
mum vultu sereno, nec aliam pro
decantatā comitatis Tuæ gloriā ac
gratiā Eidem adsigna mercedem,
quàm

quàm benevolã candidissimæ mentis Tuæ umbram. Quam si optatis auspiciis à Te fuero consecutus, omnis felicitatis compotem me factum gloriabor. DEUS Te servet, ut mihi bonisque omnibus quàm diutissimè sospes incolumisque super sis. Vale.

EPISTOLA DEDICATORIA XX.

Ad Amicum veterem.

Impius sim, Amice integerrime, nî Te ob arctissimum amicitiae nostræ vinculum ex animo diligam. Postquam enim elegantioribus litteris consecratus laudabilius vitæ meæ iter ingredi cœpi, statim in convictû Tuum me admisisti, tantisque beneficiis ornâsti, ut alterum Periclê iis pro dignitate exprimendis non imèrito mihi optem. Intereà tamen ut animum, tot benefactorum memorem, Tibi publicè aperiam; en boni consule præsens hocce Exercitium Academicum, quod nullo alio loco

loco haberi desiderat, quàm ut is modo maneat, qui semper fuisti, nempe amicus integerrimus. Quò excelsò bonò ex voto ditatus, feliciorè me putabo Chrysippo, utpote qui quondam dicere solebat: *Hominem gratum, veluti carceribus inclusum, operiri debere tempus suum, ad quod dato veluti signo profiliat.* Profilii itaque & ego; licet coram omnibus nihil aliud edisseram, quàm quod multa beneficia acceperim. Quà ingenuà confessione, ut Amice lectissime hâc vice contentus vivas, & me inter sinceros Virtutum Tuarum cultores quàm comendatissimum Tibi habeas, ex animo opto.

EPISTOLA DEDICATORIA XXI.

Quæ ejusdem fermè cum priore est commatis.

Quotiescunque diem illum tacitè mecū recordor (recordor autem eundem quàm sapiissimè) quò amicitiae nostræ fidem datâ dextrâ obfirmavimus, eamque sincerè cultam
ob-

obsignatamque, nullâ interrupta serie hucusque constantissimè servavimus; non possum, quin præ gaudiô nimio exsultem. Nulla enim calamitas tam funesta, nullum periculum tam arduum, nulla locorum intercapedo tanta tamque magna fuit, quæ suavissimum illud amoris vinculum dissolvere ac distrahere unquam poterit. Quamobrem propter amicitiae nostræ nexum vehementer confido, literis hisce meis subjunctæque iisdem Dissertationi præsentî aliquod apud Te benevolentiae spatium fore relictum. Accipe itaque adventitias hæc chartas, tanquam luculentissimum amoris nostri argumentum, & muneris simplicitati benevolè ignosce. Interim vale, & amare me perge.



Re-

Responsoria Amici Epistola ad Dedicatoriam alterius.

EXosculatus sum, imò ad os meum tenerrimè appressi Dissertationem Tuam, quã singulari diligentia elaboratam offendi. Non possum tamen, quin dissensum meum Tibi simul aperiam, qui ex eò capite suas detegit querimonias, quod tantis me oneraveris laudibus, quantis imparè, imò prorsus indignum me noveram. Supra modum enim laudari ac amari, ingratus prorsus amarusque cordatis Viris est cibus. Quanquam diffiteri nolim, quod sumòperè me recrearit pristina illa conversationis nostræ recordatio. Certè quidnam pro dedicationis honore Tibi offeram, non invenio, nisi forsan in honorificâ gratiarũ actione acquiescere gaudeas. Ut tamen gratissimam meam mentem erga Te aliquò saltim modò declarem; en redhostimenti loco puram, sinceram ac intemeratam eandem Tibi offero. Quò sacratò

cratô pignore ut hâc quoq; vice contentus vivas, eô quô par est studiô cultuque amicè benevoleque abs Te contendo.

Responsorialia Præceptoris ad Dedicatorem Discipuli.

Ornatissime Juvenis, Auditor quondam lectissime,

PLus vice simplici Musarum nostrarum Directores fidelissimi nonnullorum civium Tuorum fœcordiam deplorârunt, à quibus divitè expectabant messem; nescio tamen cui nã oscitantia ingrati illi pigrique ventres sese mancipârunt; adeò ut etiam optimæ segetis loco vix vilissimum hæctenus exhibuerint fungum. Ast quantam Tu nobis omnibus ingenerâris lætitiã, postquam de transmittendo erudito specimine sollicitam suscepisti curam, vix quisquam crediderit. Tu namque (quæ Tua est pietas) divinas humanasque leges hæctenus non postposuisti, sed copulâsti potiùs easdem cum elegantissimis quibusque literis. Interea dum æmulo

mulo

mulo nisi in editum illud doctrinarum templum Te immittere studes, ipso factum atque opere paratam mox (crede modo mihi) pro exultatam industriam experieris mercedem. Quam ut divina bonitas Tibi opinione citius assignet, eo, quo par est devoto affectu, Tibi, o Optime, serio apprecor. Pro Dedicationis Tuam curam hoc habeas, quod Magistratus noster *avli d' w' p' s* loco prima data occasione benignissime remuneraturus sit industriam Tuam ad vota nostrum omnium felicissime fluentem.

Alia Responsoria Præceptoris.

QUOD in inscriptione Dissertationis Tuam amorem erga me Tuum declarare volueris, illud officii genus merito pro eo ac debeo, gratum agnosco animo. Optarem equidem ut illud ipsum a me proficisci jam possit, quod usibus Tuis aliquam saltem ex parte inservire posse putes, tunc profecto neminem promptiore paratioremque ipso factum atque opere cerneret. Ast
quum

quum exigua, imò fermè nulla in facultatibus mei spes sit relicta, maximi tamen pignoris loco sincerum meum æstimabis affectum. Faxit modò fospitator generis humani optimus, ut pro reverentiâ illâ, quâ Tu superiores dignari consuevisti, eâdem Te etiam aliquando comitentur inferiores.

CAP. IV.

De

EPISTOLIS EUCHARISTICIS.

HActenus detinuerunt nos Dedicatoriæ, nunc ad Eucharisticas ordine sic ferente progredimur. Appellatas autem eas sic colligas ob desiderium referendæ gratiæ pro acceptis beneficiis flagrantissimum. Aliàs quatuor Epistolarum Eucharisticarum assignatas novimus partes, quarum I. testificationem animi gratiæ ac significationem lætitiæ voluptatisque inde perceptæ sustat. II. Ipsam
gra-

gratiarum actionem contineat. III. accepti benefici amplificationem complectatur. IV. Grati animi pollicitationē, aut voti pro incolumitate Regis ac Principis, magnique cujusdā Patroni insinuationem repræsentet. Quod itaque bene vortat! en Benevole Lector animum gratum Regi, Principi, aliisque Mecœnatibus Tuis in tempore approbare disce. Sic aliquando eo majorem ob gratæ mentis tesseram acceptissimam reportabis laudem. Interea ne in aliena omnia ivisse videamur, primo loco ponemus Majorū Gentium DEOS terrestres; Deinde etiam Patronos amicosque nostros non infalutatos dimittemus. Adspiret modò conatibus noster æther Divinumque Numen, in cujus nomine primam nunc capitis hujus quarti Epistolam cum reliquis aliis delineamus.



EPI.

EPISTOLA EUCHARISTICA I.

Ad Regem.

Augustissime Rex, Dn. Clementissime.

QUàm verè ac pulchrè in Te quadret, Potentissime Rex, aureum illud ac celebratissimum Titi Vespasiani dictum, quum nempe super coenam ex generosissimo recordaretur zelo, se diem illum perdidisse, quo neminè ex agnata liberalitate in cultum amoremque sui provocasset; illud profectò nemo meliùs de Te pronunciaverit, quàm minimus Majestatis Tuæ servus. Adeò excelsum in conscientiam Tuam tenerrimam exstructum manet theatrum, ut etiã diem illum Tibi periisse credas, quò non beneficentiæ Tuæ radiis tot innumeros, quasi igneam flammam correptus, beaveris. Et quoniam ego etiam tanquam infimus Majestatis Tuæ adorator clementissimos benignitatis Tuæ rivos nunquam erga me vidi clausos, ingrattissimus meritò sim, si animum tot Regis

K

giis

giis beneficiis jam tum obrutum Tibi non observantissima saltim probē ratione. Optarem equidem, ut profundissimos mentis meæ sinus Majestati Tuæ pandere liceret, ut expansam in corde meo devotissimo tabulã eminens adspicere detur. Ast quum in gratissimi tesseram nihil aliud hâc vice advocare possim, quàm quod gratiis Majestati Tuæ agendis verba meritis maximis paria me deficient. Idcirco in bonam spem erigor, fore, ut etiam ingenuæ confessioni meæ locum relicturus sis æquissimum. Ego sanè per omnem ætatem id agam, ut ingentia illa beneficia, quibus ornatū me memini, non profudisse, non perdidisse, sed apud gratum, frugi ac memorem hominem reapse collocasse sentias. Quà spe lætus, hâc vice finio, & Te fortissimo Angelorum exercitui ex antiquâ pietatis formulâ submissè comendo DEUS Majestati Tuæ eos largiatur exitus, quos meretur quosque optat, nempe fortunatissimos.

EPI

EPISTOLA EUCHARI-
STICA II.

Ad Regem.

Demosthenes Græcorum eloquen-
tissimus apud Philippum Regē,
Amyntæ Filium verba facturus, in ip-
so statim orationis suæ limine stupe-
factus obmutuit, Majestate forsan
tanti Herois perterritus. Quid non
mihi obtigisse arbitraberis, Augu-
stissime Rex, postquam calamū arri-
pui? Certè nisi placidissima benefi-
ciorum Tuorum morum facilitas mi-
hi calcar addidisset, nunquā tentāsem
vadum hoc ingredi. Adeò perterri-
tus steti in adorandâ regali Tuâ pur-
purâ. Intereâ dum tantorum bene-
ficiorum, quibus pudorem meum
oneratum recordor, memor adhuc
vivo, quî possum aliter, quin rudi
hâc scriptione apud Te hâc vice sub-
missè defungar. Accipe itaque, Po-
tentissime Rex, primam hanc gra-
tissimæ mentis pensionem, nec alio
nomine eam admitte, quàm pro te-
stimonio obsequiosissimæ voluntatis.

K 2

Opta-

Optarem equidem ut aliò modò humillimum meum obsequium demonstrare sufficerem. Ast quum in manu meâ nullum aliud munus sit positum, quàm addictissimi animi votû ingeminasse. Idcirco in certissimam spem erectus mihi persuadeo, fore, ut prima hæc tentamenta Academica non aliam fortè sint expertura, quàm certissimi augurii approbationem desideratissimâ. Quò in voto finio, & ut Divinum Numen Majestati Tuæ, utpote quæ meritis maximis propitiam sibi jam tum reddidit æternitatem, seros Nestoris annos largissimè concedat, ex animo opto voveoque.

EPISTOLA EUCHARISTICA III.

Ad Principem.

Serenissime Princeps, Dn. Clementissime.

EA meritorum Tuorum, Serenissime Princeps, in mente meâ adhuc viget magnitudo, ut non sine rubore tot ingentia beneficia, quibus

bus me Tibi humillimè observantissimèque devinctum agnosco, adspicere sufficiam. Adeò vivus ardensque illustrium benefactorum Tuorum splendor eruditissimorum quorumcunque perstringit oculos, ut etiam impares se videant iis pro dignitate exprimendis. Quanquam ego infelix felicior me non prædicarem, quàm si modò laboriosissimi Apellis penicillus mihi concederetur, ut in magnâ tabellâ devotissimæ mentis meæ testificationē depingere liceret, tunc reapse experireris, Maxime Heros, quantis sudoribus conatum hunc meum perfecerim. Ast ad facilitatem Tuam, Clementissime Princeps, provoco, in quâ cum certâ veniæ spem mihi pollicear, non dubitabo, quin gratissimæ mentis loco primas hæc industriæ meæ lineas placidissimo vultu sis adspecturus. Egò intereà id agam ut pro annuâ stipendie, quam studiis meis clementissimè iterū adsignasti, foecundissimos Tibi, Patriæ atque Ecclesiæ aliquando offerre possim fructus. Sed ne in-

comoda publica, quibus omne Tuum
tempus consecratum cupis, peccem,
nolo hac vice occupatissimas Tuas
horas longiore sermone morari.
Finio itaque, & Te, Serenissime
Princeps, Divino Numini comenda-
tum, ex animo valere, ac cum Se-
renissima Coniuge gloriose vivere
exopto.

EPISTOLA EUCHARI-
STICA I V.

Ad Principem.

Magnam me obstringo audacia,
Serenissime Princeps, Domine
Clementissime, quod inter tot ferve-
da obsequiorum certamina, quibus
pii devotique clientes Principalem
Tuam adorant purpuram, ego peregrinus
nunc compaream. Quum enim
ingens meritorum Tuorum
splendor publica privataque alat pre-
conia, devotissimi Clientis esse exi-
stimavi, presentissimo hocce speci-
mine favore Tuum humillime ambi-
re, praesertim quum indubitatum habe-
am

am quod sincerus hicce observan-
tiæ cultus jure maximo ad Te, ô
Atlas Maxime, pertineat. Quæ pro-
inde Tua est laus, felicitas atque glo-
ria, infractus invictusque adhuc per-
sistis, nec de generosô animi vigore
quicquam remittis. Enim verò quum
ob providam justitiæ administrati-
onē universus principatus felix fortu-
natusque vivat, non poterat non
cordatus quisque tenerrimā inde con-
cipere voluptatem. Intereā dum
obsequiosam hanc chartam ad pulvi-
nar Tuū humillimè depono, sub-
missè simul rogo, ut minimo Tuo Ser-
vo eam modò exhibeas gratiam, quæ
subditos aliàs Tuos complecti con-
suevisti. Et quum Virtutes Tuæ
splendidæ perpetuum posteritati ma-
neant monumentū; hinc eò certiore
spe ducor, fore, amplissima illa Prin-
cipalis Tuæ Gratia atria etiam mi-
hi imèrenti patefactum iri. Quæ
quamvis nullâ aliâ ratione nisi devo-
tissimo calamo cultuque referare suf-
ficiam, aditum tamen ad eadem mihi
non præclusum putabo, si modò con-

stans ac perpetuus Virtutum Tuarum admirator esse non desiero. Accipe itaque (quæ Tua est clementia) Serenissime Princeps, tenerrimum hunc ingenii mei partum, nec Eidem alium concede locum, quàm inter chartas Tuas minimum. Ego certè id agam, ut si favore Tuo Principali non dignissimus, dignus tamen aliquo modo inveniar. Sed ne curas Tuas, Serenissime Princeps, quas tot negotiorum fluctibus expositas nemo non meminit, diutius remorer, finio hâc vice, ex animo vovens, ut in tristissimâ illâ imagine, quâ Germania suam nunc deplorat ruinam, felicissimum omnis boni videas complementum!

EPISTOLA EUCHARISTICA V.

Ad Sanctiores Principis
Consiliarios.

Quantus Vobis Viri Magnifici ac Nobilissimi, nullò tempore non infederit erga litteras earundemque cultores amor, idsi nullò aliò argumen-

mentô demonstrare sufficerem, hôc
 ipsô tamen, tanquam certissimo e-
 vincere possem, quod benignitatis
 Vestræ rivus copiosissimè in me huc
 usque viderim derivatos. Quum e-
 nim ruentē Musarum mearum statum
 lautô quôdam stipendiô fulcire, &
 cum de his ipsis conclamatum planè
 videretur, me beneficiis Vestris de
 novo erigere volueritis, opus profe-
 ctô divino favore dignissimum præ-
 stitistis. Utinam nunc aliquâ saltim
 ratione gratum meum animû Vobis
 declarare sufficerem, tunc profe-
 ctô nullâ interpositâ morâ exseque-
 rer gratissimæ memoriæ testificatio-
 nem apertissimam. Ast quum ver-
 ba meritis Vestris imparia sentiã, ma-
 lo potiùs silentio venerari ea, utpo-
 te quæ majorem præ se ferunt cul-
 tum, quàm ut nimio verborum am-
 bitu eadem circumscribam, ad quæ
 sanè calamus meus omninò hebescit,
 Nullus dubitans, quin in comemo-
 ratione meritorum Vestrorum san-
 ctissimâ amplissimum Vobis gratissi-
 mæ mentis constitutum recordemi-

ni theatrum. Interea dum aliquo sal-
 tim officii genere Vestrae curae erant
 provocandae, accipite hoc ipsum
 memoriae Vestrae mancipatum pignus
 in tesseram humillimae mentis, & me,
 si mereor, benevolentiam ulteriori
 profsequi pergite. Ego certe (quae
 mea est pietas) non cessabo pro Ve-
 strae totiusque patriae salute DEUM
 indefinenter sollicitare, ut Vos servet,
 ac in tanto fortunae fastigio clemen-
 ter protegat. Quod in voto desino,
 & Vos ipsos Divino Numini comen-
 dados, longissimum vitae terminum
 superfuturos pro tanto bonitatis Zelo
 confido.

EPISTOLA EUGHARI-
 STICA VI.

Ad Sanctiores Reipubli-
 cae cujusdam Consiliarios.

Diu anceps haesi, Magnifici Viri,
 auderemne cum vilissimis hi-
 sce chartis in venerabile Vestrum pro-
 dire conspectum. Ast quum refera-
 ta mihi cernerem viam ad beneficen-
 tia

tia Vestrae sacraria perveniendi, nolui exoptatissimam occasionem tanquam deses viae or culpam meam praetermittere. Altem nimirum conscientiae meae impressa sedet beneficiorum Vestrorum magnitudo. Et utinam ingenuam hac imbecillique meam confessione gratum animam Vobis omnibus reapse declarare sufficerem, tunc neminem promptiorem paratioremque ipso factum atque opere deprehenderetis. Sed defectum hunc compenset memoria meritis Vestris addictissima. Interea dum aliquales saltim exsolvendae erant gratiae pro arduis Vestris mei causa susceptis curis; en speciem hocce juvenile serenam accipite fronte. Ego profectum studio meorum telam ita semper ordinabo, ut non degener patriae meae civis aliquando possim videri. Sed quid ulterius vovebo? Finiam itaque, & ut ii semper permaneat, qui nunquam non erga me imerentem extitistis, nempe Benefactores optimi iique benevolentissimi, supplice ac devota precor mente.

EPISTOLA EUCHARI-
TICA VII.

Ad Patronum, cui Gratias
agimus pro variis acceptis
beneficiis.

FRontem illi periisse dixerim, qui
ad innumera illa, quibus ornatum
me memini beneficia, non prorsus
obstupescat. Tu enim, Patrone ma-
xime, sponte Tua omnem amoris
abundantiã laudatissimò Tuò exem-
plò egregiè hæctenus mihi demon-
strasti. Quo nomine gratum Tibi
offero animum, quẽ publicã etiam vo-
ce semper profitebor coram eruditif-
simo orbe. Et, quidni lubentissi-
mè id facerem, cum bestia etiam fir-
missimam meritorũ optimorum ser-
vent memoriam. Tu interea (quæ
Tua est bonitas) obligatissimæ men-
tis meæ testificationem boni consu-
le, nec Tibi aliud quid de me per-
suade, quàm quod ad obsequium
omne me semper promptum para-
tumque sis deprehensurus; nulli e-
nim Clientum Tuorum unquam de-
bitã

bitâ veneratione aliquid sum concessurus.

EPISTOLA EUCHARI-
TICA VIII.

Ad Senatum Oppida-
num, cui gratias agimus pro
aucto prorogatoque Sti-
pendio.

Verbis vix describere possum, In
quantam lætitiâ sim datus,
postquã audiui, me sub cura ac tute-
la Vestra novum stipendium iterum
facere posse. Dum enim durissimô
necessitatis telô me expositum nove-
ram, & prætereâ studia mea sine du-
ce ullô oberrabant, Vos tristissimam
meam sortē miserati, ceu sidera luci-
dissima egenti benevolè obviam ivi-
stis, ac auxilii consilii que indigas
Musas meas sumtibus necessariis sub-
levâstis. Pro quorum oblatione be-
nignissimâ Vobis omnibus ac singu-
lis gratias ago imortales. Optarem
equidem, ut verecundia Vestra ver-
bis meis nullū hic poneret modum,

K 7

tunc

tunc latiore forsan excurrendi campum haberem benignitatem Vestram depredicandi. Ne autem dulcissimus sumtuum Vestrorum fructus Vobis pereat, pro virili meâ posthac laborabo, ut ad desideratâ maturitatem studia mea deducere non inidoneus judicer. Servate modo mihi perennantis favoris Vestri adminicula; ego contra non cessabo debito cultu Vestra desideria iterum submisse excipere. Interim valete ac clienti Vestro favete.

**Alia ejusdem commatis
argumenti q̄; Epistola Euchari-
stica, & quidem in or-
dine IX.**

QUâmvīs haud obscuris indiciis mihi sedeat, quantis obsequiis me Vobis obstrictum agnoscam; nolui tamen hanc ipsam à fortunâ mihi oblatam occasionem seponere. Vos enim tanquam propitium aliquod Numen nullo tempore non sum expertus, utpote sub quorum approbatione dexterrimâ tantam auxilii partem per-

persensi, ut ingratiſſimus meritò ſim
mortalium omnium, niſi memori
mente beneficam Veſtram indolem
maximis extollerē præconiis. Quum
enim me hominem pauperem ad ini-
quiſſimum fortunæ ludibrium relin-
quere nolueritis, æquum proſus erat,
ut venerabundò calamò animoque
Veſtrâ exoſcularer benignitatem. Vos
modò Patriæ Patres laudatiſſimi per-
gite Sacras ſic adjutare Camœnas,
tunc nullum dubium ſupererit, quin
in alterâ illâ coeleſti vitâ æternū nun-
quamq; finiendum pro meritis Veſtris
acturi aliquando ſitis triumphum.

EPISTOLA EUCHARI-
STICA X.

**Ad Patronos, pro Studio-
ſo egeno concepta.**

QUod Muſis meis animam propè a-
gentibus liberali manu ſubvenire
volueritis, illum favorē Veſtrum pro
eo ac debeo, obſervantiſſimo meri-
tò exoſculor cultu. Optarem e-
quidem ut rationem aliquam inire
poſ-

possem declarandi Vobis, quantis obsequiis Nominibus Vestris obstrictus vivam. Ast quum nullam aliam semitam in officiosô hóc itinere calcare valeã, quàm si Supremum Numen indefinenter implorem, ut in gravissimis gravissimarũ rerum consiliis Vobis semper sit præsto. Idcirco non dubito, quin debitis mediis obtenturus sim voti mei metam desideratissimam. Faxit modò DEUS, ut qui nunc floretis in terrâ justitiæ, lucida aliquando sitis sidera in coelesti Divini Numinis regiâ magnâ.

EPISTOLA EUCHARISTICA XI.

Ad Patronum privatum.

Quantâ lætitiâ attentioneque lægerim, quæ nuper admodum in Studiorum meorum subsidium emolumentumque benevolè excogitasti, vix quisquam credat. Præterquam enim quod in Te uno omnis mea spes nunquam non inclinata recubuerit; tam gratum tamen fuit, quod gratulari mihi hoc ipso tempore possim de
Patro-

Patrono tanto, utpote qui com̄odis
meis strenuè semper invigilavit, ni-
hilquè prætermisit, quod ad me or-
nandum poliendumque omni ex
parte facere poterat. Utinam nunc
Tibi, Patrone honoratissime, grati-
tudinē meam ipso facto atque opere
majorem demonstrare non prohibe-
rer. Ast quum nullam Tuorum in
me meritorū partem unquam fui af-
secutus, spero tamen voluntatem
officiosissimam æquè gratum pignus
Tibi futurum, quàm si ampullis ses-
quipedalibusquè verbis fidem meam
oppignorarem. Tuus enim sum,
Tuo Tibi ære quæsitus. Quale do-
num quum Æschines Socrati, tan-
quam auditor pauper quondam obtu-
lisset, visus est Alcibiadis ditissimi
munificentiam superâsse. Certè,
quid pro præsentī tempore præter
gratum memoremque animum Tibi
sistere possim, non reperio. Hunc
itaque accipe purum, sincerum ac
illibatum. Sed voto tandē obsignanda
erat Epistola mea. Finio itaque, &
& ut favorem Tuum, tanquam in-
asti-

æstimabile bonum mihi religioſè
conſerves, obnixè rogo atque oro.

EPISTOLA EUCHARI-
STICA XII.

Quâ gratias agimus Viro
honorato pro epulis delicatis
colloquioque docto.

Dextrò Hercule natos nos augu-
raremur, ſi apud Vos tali modo
perpetuò vivere detur, quali nuper
admodum apud Te degere contigit.
Dum enim non tam cœnam, quàm
ingenioſam cœnavimus doctrinam;
quid mirum, quod menſam Tuam præ
Regum Principumque dapibus non
negligamus? Interim ne ingrati viva-
mus moriamurque; en pignoris re-
ligioſi loco noſtrum recipe affectum,
utpote qui grati animi indicem reâp-
ſe demonſtrabit. Sed ne Te à deli-
catiffimis Muſarum epulis avocemus,
interrumpimus hâc vice ſermonem
noſtrum, ſeriò optantes, ut DEUS
Te diu ſoſpitet, & ad ſeros uſque
Neftoris annos florentem vigen-
temque conſervet. Vale.

EPI-

EPISTOLA EUCHARI-
STICA XIII.

Quâ Filius morigerus Di-
vino Numini gratias agit, sibi que
de recuperata Parentis optimi
sanitate simul gratu-
latur.

QUum debitæ gratiæ divino Nu-
mini essent agenda, quod ma-
lum istud, cui Te expositum nove-
ras, clementissimè iterum averterit;
mearum omninò erat partium pro in-
columitate Tuâ, Venerabilis Dn. Pa-
rens apud DEUM intercedere, eum-
que rogare, ut vires Tuas ita firmet
reficiatque, quò Antæo similimus
possis videri. Hunc enim ab Hercu-
te prostratum, quoties terram ma-
trem, foecundissimo sinu lætam, at-
tingeret, fortiorem semper resurre-
xisse ferunt. Hæc felicitas ut etiam
Te semper maneat, calidissimis à Di-
vina bonitate contendo precibus.
Nec enim pro notissimò filialis ob-
servantiæ amore igneò aliter possum,
quàm ut incolumitatem Tuam for-
tissi

tissimo Angelorum exercitui religio-
sè comendem. Tu enim is semper fui-
sti, qui post tot collata in me benefi-
cia, post tot sermones in salutem
meã ultro citroque habitos, optimum
providumque Parentem laudabili
prorsus exemplo nunquam non re-
præsentalisti. Faxit modò Deus, ut
constans sit sanitas, Tibique ex voto
ea semper suppetat. Sic saluti studi-
isque meis ad nullam maturitatem
hactenus perductis, quàm optimè
consultum arbitrabor.

Responsoria ad Eucharis- ticam Amici Epistolam.

QUAMVIS multa suppetant argu-
menta, quare Te tanquam opti-
mam cordis desideriique mei partè
censere possim; nullum illustrius ta-
men perspicere hactenus potui,
quàm illud ipsum, quò reapse demon-
stras, quanto mei amore incensus te-
nearis. Quò nomine grata Tibi es-
se officia mea. vehementer lator: ne-
cessitudo tamen, quæ mihi tecum in-
ter.

tercedit, non permittit, ut gratiarum actionē tam anxie desiderem. Te equidem, Amicorum lectissime, minime latet, amicorum cōmunia esse omnia: Non igitur tam ego beneficium dedi quā accepī, postquam cōmodis Tuis promovendis dignus aliquo modo sum judicatus. Majorem certe suavitate inde percepi, quam Tu forsitan ipse. Interea non possum, quin efflorescentem amoris mei abundantia ex eā ratione Tibi ingenerem, quia certissimum hunc affectūs interioris ignem in litteris Tuis apprehendi. Tu modò perge in juvenili hocce vere pretiosissimum tempus ita collocare, ut etiam exiguo abhinc tempore citissimam virtutis ac laudatissimorum profectuum Tuorum videam messem.



CAP. V.

CAP. V.

*De*EPISTOLIS LAUDA-
TORIIS.

Missis Eucharisticis pergimus
nunc bono omine ad Laudato-
rias. Laudamus autem potissimum
Personas, Facta ac Res. Hinc ad
Genus Demonstrativum laudatorias
Epistolas non immeritò retuleris.
Quod itaque benè vortat, en primor-
dium ipsum constituimus, telam no-
stram ab Epistola I. ordientes.

EPISTOLA LAUDATORIA I.
Quâ laudamus Juvenem,
tempus suum in Academicâ
palæstrâ benè collocan-
tem.

Placuli loco agnoscerem, Ornatis-
simè Juvenis, si superfederem de-
bitis justisq; laudibus Te comitari.
Dum enim in politiori litteraturâ e-
gre-

gregia hactenus confecisti spatia; injurius meritò sim, nisi diligentiam Tuam eò, quò par erat studiò, aliis Tui ordinis Studiosis imitandam proponerem. Et licèt Musæ industriam Tuam tardè remunerari pergant, non dubito tamen, quin tarditatem summâ excellorum præmiorum gravitate aliquando sint compensaturæ. Nec enim Divino Numini meta est ponenda, sed expectanda hora illa amœnissima, quam dudum promeritæ spartæ forsan assignavit æther. Noli verò existimare quasi prædicatione meâ quidquam ad famam Tuam credam accedere, utpote quam vigili studio jamdudum peperisti maximam, sed firmissimè Tibi persuade, me eum semper fuisse, qui sumâ Te complectatur benevolentia, Tu modò indefinenter perge optimos quosque Scriptores perlustrare. Sic ibis aliquando ad edita laboriosæ doctrinæ templa, utpote quæ legitimis mediis referata, porrigent Tibi tandem nunquam terminaturam, sed per omnes seculorum decursus perpetuò duraturam gloriam.

Re-

Responsoria Studiosi ad laudatoriam præcedentem

Magnà me affectum putes læti-
tià, postquam amantissimas
Tuas perlegi. Præterquam enim
quod vix meliores candidissimi pe-
ctoris Tui producere potuisses te-
stes; tàm gratū tamen acceptumque
mihi fuit, quod comòdam nactus sim
occassionem, affectum Tuum de no-
vo exosculandi. Utinam modò fa-
vorē erga me Tuum reciproco amore
demereri sufficerem, tunc neminem
in servando amicitia vinculo religio-
sorem deprehenderes. Ast quum
tanti meriti gratiã nullã aliã nisi exo-
ptatissimã Tibi Tuisque inserviendi
promptitudine redimere valeam. Id-
circò non dubitabo, quin in ami-
cã qualiumcunque officiorum ob-
latione lubentissimè sis acquietu-
rus. Quod verò applausu Tuo ad
nobilissimam debitæ vigilisque indu-
striæ palmam me provocare non de-
stiteris, illud officii genus pro verã
infucata amicitia nostræ tessera me-
ritò

ritò agnosco. Me certè quod attinet. non committam, ut tam honorificum de me ipsò conceptum iudicium ullò modò postposuisse videar. Tu modò (quæ Tua est comitas) mihi favere porrò perge.

EPISTOLA LAUDATO-
RIA II.

Quæ ad Parentem Studi-
osì cujusdam, magnâ cum laude
in litterario curriculo versantis,
est directa.

QUum redimendi temporis gatiâ ad Parnassum Altdorffinum properarem, accidit fortè fortunâ, ut obviam sese mihi daret Filius Tuus morigerus, Hunc profectò non in cellâ cerevisiariâ nummos sepelientem, sed optimarum artium cultui horas suas consecrantem inveniebam. Ex hâc ipsâre quantam ego ceperim voluptatem, scire potes etiam me tacente, si modò amoris nostri nexum non imminutum volueris. Et profectò dubito adhuc, utrum major gaudii ac-

L

ces.

cessio in generosis mentibus possit enasci, quam si videant juventutem in virtutis honestarumque actionum cursu vigilantissimam. Novimus quidem, quod tenellis ingeniis multa agnata sint vitia. De Tuo tamen Filio hoc ego sine veritatis injuriâ pronunciaverim, quod is præter modestiam amabilem, singularem probitatis diligentiaque laudem præ se ferat. Non possum itaque, quin optimæ monetæ Juvenem, quem Tuo, imo ipsius veritatis nomine necesse erat diligere, talem habeam, qualem eundem reverà deprehendebam. Et certè non mei solius, sed potius totius Professorii ordinis testimonium hoc esse, firmissimè credas augurerisque. Noli proinde dubitare, quin frugi, modesti ac industrii Adolescentis officium religiosa mente semper sit præstiturus.



CAPUT. VI.

De

EPISTOLIS OFFICIO-
SIS SIVE CONCILIA-
TORIIS.

Epistolæ Conciliatorix sunt, in quibus eorum benevolentiam atque favorem, qui ob ingenii dotes functionisque eminentiam in auctoritate magna sunt constituti, nobis parare studemus, modestè petentes, ut favore benevolentiam atque speratò Eorundè auxilio frui nobis liceat. Quatuor autem vulgò partes Epistolarum officiosarum dantur; nempe *Exordium*, *Proposito*, *Confirmatio*, atque *Conclusio*. *Exordium* ita est adornandū, ut omnis inverecundix suspicio dimoveatur: indicabit igitur Epistolographus aut Scriptionis causas à laude ac spe humanitatis petitas, aut intermissæ Scriptionis rationes. *Propositio* petitū ipsū absolvat. *Confirmatio* causas ad amandū nos impulsivas habeat, petitas ab ejus amore, benevolentiam, laude doctri-

L 2

næ

næ ac virtutum, tam a nostra gratitudine. *Conclusio* constabit aut recitatâ petitione, aut observantiæ gratitudinisque pollicitatione. Sed periculum jam faciamus in adornandis Epistolis officiosis. Præludat itaque conatibus nostris.

EPISTOLA OFFICIO-
SA I.

Ad Regem.

IS coronæ Tuæ, Potentissime Rex, est splendor, ea Sceptri Majestas idque fascium diadema, ut non possint non rubore suffundi, qui tot invictarum Virtutum ornamenta splendidissima observantissimis adspicere dignentur oculis. Mirum proinde, quod ego tanquam infimus throni Tui adorator coram tremebundâ facie Tuâ comparere non prorsus perhorrescam. Ut tamen ad purpuram Tuam magnificentissimam aliqua saltim accessio- nis spes mihi supersit, hanc ipsam humillimi obsequii imaginẽ ante pedes Tuos, eô, quô par est pietatis obser-
van

vantiæque cùltu deponere, fas omnino putavi. Nec enim animosiore fiducia penicillum meum arripere poteram, quàm si illum exprimerem per Schema hoc devotissimum. Respice itaque, ò Augustissime Rex, expressum hoc observantiæ meæ simulachrum, nec aliud pro decantatâ potentia Tuæ gloriâ eidem decerne præmium, quàm Regiam Tuam clementiam. Quò excellentissimo bonò ad votum ditatus, satis felicem fortunatumque me putabo. Sed ne ego ad tantæ Gratia palatium tanquam mendicus impudentissimus accessisse videar, voto ob signo epistolæ meæ paginam obsequiosissimam, & ut placidos serenosque per omnem vitam Majestas Tua numeret dies, observantissima humillimaque precor mente.

EPISTOLA OFFICIO:
SA II.

Ad Principem.

Ignosce, Serenissime Princeps, Dn. Clementissime, Servo Tuo minimo, quod is ad gratia Tuæ templum

L 3

non

non aliô argumentô, quàm quod se modò insinuet, accedat. Quum enim ego sola virtutis admiratione ductus, utpote quæ altissimam in mente Tua erexit sedem, ad thronum Tuum confugiam, noli tamen (quæ Tua est clementia) inauditû eum à Te dimittere, qui nihil aliud ambit, quàm principalem Tuum favorem. Nec dubitô, quin mansuetudinis clementiæque Tuæ fores eò patentiores sim visurus, quò minùs patefactas eas novi ab iis, qui humillimo obsequio easdem referare non didicerunt. Qui itaque generosissimus Tuus, Serenissime Princeps, est zelus, admitte quæso ad gloriosissimum beneficentiæ Tuæ folium eum, qui augustissimæ Tuæ clientelæ se mancipat totum.

EPISTOLA OFFICIOSA III.

Quâ magni cujusdam Vi-
ii favorem parare nobis
studemus.

QUod petitis meis benevolam au-
rem porrigere volueris, id ipsum dex-

dexteritati Tuæ, Amplissime Vir, quam maximè fero acceptum. Nec enim aliam unquam de Te concipere potui fiduciam, quàm exploratissimam. Tu modò, quæ Tua est bonitas, perge B. Parentis mei vices laudabili impost-
 erum supplere exemplò. Sic maximam humanæ felicitatis partem mihi partam judicabo. Ego interea post habitis rebus omnibus, id sedulò posthac agam, ut flagrantissimum Tuum, Patrone Maxime erga me conservem favorem. Nulla enim vis mortis, nulla tyrannis me ab amplexu Tuo prudentissimo unquã avellet. Sed quid ulterius volo? Deus Te mihi diu servet! Vale.

EPISTOLA OFFICIOSA IV.

Qua magni Viri favorem demereri studemus.

Quoties Demosthenem, Græcorum Oratorum disertissimum quondam Principem, ne quæ verba sibi forsan apud Philippum Regem exciderent incommoda, perterritum

stetisse conspicio: non animo solùm commoveor, sed & toto fermè corpore perhorresco. Virum enim & singulari *παρ' ἑνοία*, & multarum rerum experientiâ conspicuum tam sollicitum ad dicendi partes accessisse, in gravissimis gravissimorum Oratorum monumentis cum reperiam, e-gone Adolescens, tanti Viri præsentia in ipso statim litterarum mearum limine stupefactus, jure meritoque non perhorrescam? Sed tamen ut ex operâ meâ in contexendis litteris collocatâ, maximam Te cepisse voluptatem intellexi, ut & ingenium meum à Te pariter requiri possit & officium, non committendum illud judicavi. Quare quod me litteris Tuis amantissimis humanissimisque beaveris, maximas Tibi ut debeo, ago habeoque gratias. Ego sanè in eam curam cogitationemque; toto incumbam pectore, ut tandem aliquando amplissima beneficia non profudisse, non perdidisse, sed apud gratum, memorem ac frugi adolescentem eadem collocasse reapse cognoscas. Nactus sum,
ut

Ut arbitror, uberrimam ad Te scriben-
 di segetem ac materiem, quam uti-
 nam ingeniolo meo, utut exiguo,
 pluribus verbis exornare possim. Ta-
 men ne tempora Tua, gravioribus
 curis destinata; diutiùs remorer, ex-
 tremam manum his tandem impo-
 nendam existimavi. Benevolentiam
 verò Tuam, ceu maximam Studio-
 rum meorum fautricem adjutri-
 cemq; quò mihi propriam conserves
 ac perpetuam, etiam atque etiam Te
 rogo. Hocce unicum si adeptus fu-
 ero, immortalitatem (ut cum Comi-
 co loquar) mihi partam judicabo.
 Me sanè quantum in me erit situm
 (nec enim ultrà possum ut favore &
 amore Tuo si non dignissimus, di-
 gnus tamen aliquo modo inveniar)
 diesque noctesque manibusque pe-
 dibùsque operam sedulo datu-
 rum scias. Vale.



L 5

EPI.

EPISTOLA OFFICIO-
SA V.

Quâ quis se apud Patro-
num insinuare, ejusdemq; fa-
vorem ambire gaudet,

NUnquam tam tremebundâ men-
te in scenam prodire soleo,
quàm si jubear Viros in summâ digni-
tatis fastigiô constitutos, rudi aliquâ
scriptione compellare. Adeò ingens
veneratio ob præclarè gestorum glo-
riam ac splendorem in mente meâ
furgit, ut, nisi aliquam favoris scin-
tillam in pectore Tuô, Patrone Ma-
xime, mihi reliquam scivissem, vix
vadum hoc ingredi tentâssem. Interea,
dum nullâ alia fini Mecœnates nostros
ad illustre humanitatis certamen pro-
vocatos volumus, quàm ut nobis mo-
dò salutaribus suis consiliis succur-
rant. Hinc non assequor, quônam ob-
sequiosô pietatis cultu Tibi volunta-
tem meam ex voto oppignorare suffi-
ciam, utpote quam tot tantisque e-
gregiis argumentis in amorem Tui il-
lexisti, adeò ut non sim solvendo.
Sed

Sed tamen ne nihil omninò ad aram
Tuam attulisse videar, en granum o-
doriferi thuris offero, quo ipso obser-
vantissimam officiosissimamque me-
am mentem pro innatâ Tibique pro-
priâ comitatis gloriâ benevolè impo-
sterum æstimabis.

EPISTOLA OFFICIO:
SA VI.

Quâ Studia nostra alicui
deferimus.

QUando nudius tertius amantissi-
mæ Tuæ ad me deferebantur,
vix credas, quam gratæ mihi eadem
fuerint, quamque acceptæ. Jam diu
enim est, quò redintegrandæ veteris
amicitiæ occasionẽ optavi, neque ta-
men propter longinqua, quæ nos ha-
ctenus disjunxerunt intervalla id sic
satis comòdè fieri potuit. Nunc a Te-
met ex Parnasso Vestro satis amanter
provocatus, non litteris duntaxat,
sed omni præsertim officiorum get-
tere ut respondeam, pari ope
& operâ posthac laborabo. Et ve-
lim equidem ut desiderijs Tuis in

L 6

omni

omnibus satisfacere potuiffem. Sed in præfenti nihil aliud præftare licuit, quàm ut Studium meum tanquam certiffimum indubitati amoris indicium non alienum à Te videres. Te enim à primo ftatim amicitiae noftre exordio cognovi Virum bonum officique plenum. Nec mediocre ad copulandos animos noftros attulit vinculum unanimis confenfus, qui recessus mentis noftre intimos ita ligavit, ut ex quo tempore diligere Te coepi, neminem alium actionum mearum comitem sociumque defideraverim, quàm Te unum. Neque enim ulla res in omni vitâ mihi ita erit propofita, quàm ut modò perfpicias, me quotidie arctius Te complecti vehementiusque amoris defiderium in corde meo erga Te circumferre. Tu modò priſtinam benevolentiae Tuæ memoriam non dele, fed certò Tibi perſuade, neminem mihi eſſe chariorem Te unò. Vale.

EPI.

EPISTOLA OFFICIO-
SA VII.

Quã Filius Parentis sui
favorem sibi conciliare studet.

NUllum modestiæ filialisq; obser-
vantiaë sensum retinerem, nisi
apud Te, Venerabilis Dn. Parens, ut-
pote cujus spiritu vivo, cujusq; libera-
litate unicè sustineor, officiosà hacce
Epistolâ defungerer. Tu enim hic ipse
es, cui proximè Deum omnem feli-
citatem animiq; cultum debeo. Ta-
ceo hac vice alia innumera beneficia
quibus me in hunc usque diem pater-
nè voluisti ornatum. Adeo ex be-
nignissimo Tuo affectu solidiora feli-
citatæ meæ incrementa quotidie ef-
florescunt, ut non immerito dignus
sim, quem ima tellus dehiscat, nisi
paternum Tuum amorem debito pie-
tatis cultu venerari studeam. Ne ita-
que & Te tot curarum in salutem me-
am ultrò excogitatarum pœniteat;
en, Genitor honoratissime, hanc ipsam
filialis meæ observantiæ tesseram pla-

placidò benevoloque adspice vultu. Optarem equidem, ut majori sanctimonix pignore fidem meam liberare sufficerem. Ast quum etiam Dii terrestres in pia rectaque voluntate venerantium honorem suum collocent. Idcirco non dubitabo, quin observantissimo hocce filialis obedientix schemate ulteriorem vereque paternum favorem Tuum ad votum usq; sim demeriturus. Interea vale, & si ulterius merebor, amare perge observantissimum Tuum Filium,

EPISTOLA OFFICIO-
SA VIII.

Quà Studiosus Professo-
rem petit, ut benevolam sui
memoriam non deponat.

QUod simplici voto hactenus concluderam, id nunc ipsis rerum argumentis clarissime demonstrabo. Dum enim inter tot Virtutum Tuarum deprædicatores me non minimum huc usque videras; non pote-

poteram tamen veterem benefactorum memoriam, tanquam ingratus discipulus, tacitè sepelire. Tu enim Clarissime Vir, ad seria sapientiæ studia promovenda auctor hortatorque mihi nullo tempore non extitisti maximus. Nec enim tam sermone quàm vivo exemplo tot torpentia & ignaviæ veterno occupata ingenia ad capeffendam feliciorum fructuum sementem pro singulari doctrinæ Tuæ zelo inflammâsti. Hinc fiebat, ut egò etiam ad sanctissimam illam veræ pietatis regulam atque legem adsuëfactus, adolescerem in laudatissimo laudatissimarum rerum studio ac stadio. Certè quodnam Tibi primum quodve secundum offeram gratissimæ mentis pignus ac talentum, difficilis mihi sedet æstimatio. Et hæc ipsa cogitatio amoris mei ignem adhuc hodiè ita suaviter nutrit, ut nullâ aquâ extingui possit tantorum meritorum memoria. Intereà dum animum meum, virtutis studio incensum, Tibi declarare debebam, nullô aliô tamen parariô veterem illum

lum affectum in partes meas allicere poteram, nisi officiosâ hâc Epistolâ. Accipe itaque eandem tanquam debitam Virtuti Tuæ mercedem, nec alium me puta, quàm sincerum unicumque celebratissimi Nominis Tui cultorem æstimatoremque.

EPSTOLA OFFICIO-
SA IX,

Quâ litterarum nostrarum raritatem excusamus, & simul optimi Patroni favori nos insinuamus.

Licet grave sit adolescenti, inter a-
pia, quod ajunt, adhuc versanti,
scribere ad Virum omni eruditionis
genere politissimum: tamen si quod
scriberem, habuissem, citius Amplitu-
dini Tuæ obtemperandum, & promif-
sum verbis à me initum, reapse com-
probandum existimassem. Nullum e-
nim in Eam officium sine maximâ cul-
pâ præterire possum, utpote in quâ co-
lendâ patriam mihi constitui sancti-
tatem.

tatem. Quare hoc ipsum gravissimum pietatis nomen quàm dulce sanctumque mihi sit, Ei ut ostenderem, justissimam conquerendi causam præscinderem; meq; ipsum omni negligentia suspicione exsolverem, hoc quicquid est litterarum ad Eam mittendum judicavi. Quod si igitur Amplitudo Tua corpore satis firmo sit & valido ad illustrem Spartam ritè recteque obeundam, est fanè quod vehementer gaudeam, maximamque ex illius salute percipiam voluptatem. De me verò sic existimet sibi que persuadeat vehementer velim, rationem non tam corporis, quam animi mei me habere sumam, cujus curam omnes quidem, qui modò salem habent, relictis rebus omnibus amplectendam suadent: tamen non possum non confiteri, maximum ad hanc viam ingrediendam, & ad ingressam ritè persequendam pondus accessisse consilium Tuum prudentia ac fidelitatis plenissimum. Hoc certè me aut aliter sentientem reprimere, aut dubitantem impellere deberet, ut Te sequerer unicum
uni-

unicè salutis meæ mirabiliter faventem, totaq; mente de ornamentis ac commodis meis nunquam non cogitantem. Itaque quum nullum aliud scribendi argumentum mihi relictum nôrim : hoc saltim Amplitudini Tuæ sanctissimè promitto, me omnem operam, curam ac industriam in eo fixurum locaturumque, ut & gravem adversariam mihi constitutam, tandem aliquando vincam, Tibi fidelissimè suadenti & ad benè de uberrimo fructu sperandum quasi signum tollenti, satisfaciam, meæque salutis eâ, quâ par est fide, benè prospiciam.

CAPUT VII.

De

EPISTOLIS COMMENDATITIIS.

ADumbratis hætenus tenui stylo filoque Epistolis Conciliatoriis, rectò pede nunc progredimur ad commendatitias. Vocantur autem commendatitiæ, quia iis alios laudamus,

mus, & amore promotioneque dignos declaramus. Solent aliàs Epistolarum commendatitiarum quinque constitui partes, quarum I. est *Exordium*, commendationem ipsam secundum locos Generis Demonstrativi continens; vel sistens gratiarum actionem; vel proferens excusationem interpellationis crebræ aut intempestivæ. II. pars est *Narratio*, quæ brevissimam illius rei, cujus gratiâ commendatio instituta, complectitur expositionem. III. est *Propositio*, quæ involvit partim petitionem, partim commendationem ipsam. IV. Pars est *Confirmatio*. Hæc ut plurimum sumitur à Patroni nostri auctoritate, & in litteras earundemque cultores propensa voluntate. V. pars est *Conclusio*, & illa constat aut animi grati & remunerationis pollicitatione, aut fiduciæ ac spei præclaræ de Amico conceptæ significatione, aut commendationis repetitione. Interea ut etiã Commendatitiis nostris sua stet integritas; nolimus hæc vice inculcare ea, quæ protrita vul-

gò habentur, sed præfenti tempore nos accomodabimus, ut eò major usus moderni laus atque gloria ad omnes elegantiorum litterarum cultores redundet. Stet itaque principe loco.

EPISTOLA COMMEN-
DATITIA I.

Quâ Pater Filium suum
commendat Profeflori.

Qui hæc Tibi reddit, Ampliffime Vir, est Filius meus natu minor. Dum enim de maturandis Ejus studiis follicitam circumferebam curam, nescio tamen quemnam amorem mihi ingenerârit Academia Veftra, ut pote quæ ex eò argumento felix fortunataque prædicanda, quod peritum Profeflorum ordinem repræfentet. Et quum Tu etiam, Clariffime Vir, ex eorum numero fis, qui falutari doctrinâ juventutem incautam inque vitia ceream erudire & ad defideratum illud doctrinæ folidæ fastigium, ad quod connitimur omnes,
pro-

provehere soleant. Idcirco fiduciâ
 Tuâ in me benevolentia, utpote plu-
 rimis experimentis mihi perspectissi-
 mæ excitatus, hunc Meum favori Tuo,
 Clarissime Vir, sisto. Reclude itaq;
 ipsi una cum musèo doctrinæ Tuæ fo-
 res fontesque, ut ita in domum Tu-
 am receptus, Te quotidie de arduis
 materiis differentem audire admirari-
 que possit. Ego certè ipsò factò atque
 opere, quicquid Filii mei causa feceris,
 gratum semper demonstrabo ani-
 mum. Pluribus quidem Te, Amplissi-
 me Vir, rogarem, nisi de promptitudi-
 ne Tuâ in promovendâ Studiosâ ju-
 ventute optimè mihi constaret. Inter-
 ea vale, & mihi, si fas est petiisse, in
 amore iterum responde.

EPISTOLA COMMEN-
 DATITIA II.

Quâ Juvenem commen-
 damus Patrono.

Nisi tam humanus esses quàm do-
 ctus, maluissem potius religiosò
 silen-

filentiô Nominis Tui reverentiâm
 testari, quàm hanc ipsam scribendi
 provinciam in me suscipere. Ast
 quum humanitas, facilitas ac con-
 summata eruditio Tua optima quæ-
 que mihi polliceantur, non dubita-
 bo, quin præsentem Juvenem inter
 devotos ac gloriæ Tuæ consecratos
 Clientes lubentissimè sis recepturus.
 Quum enim is alienô teste minimè
 videatur egere, sed virtute suâ uni-
 versis se probare possit, ob eamq; ne-
 mini, qui modò Musas amat, non sit
 gratissimus. Idcirco in certissimam
 spem erigor, fore, ut optimo Juve-
 ni, domesticum pietatis testimonium
 secum circumferenti, benevolen-
 tiæ Tuæ fores ad votum meum lu-
 bentissimè sis patefacturus. Quæ i-
 taque Tua est facilitas, patere quæso,
 ut sæpè ad Te accedat, & si citra in-
 commodum Tuum fieri potest, ope
 ac consiliô studia ejus juva, talemq;
 Te præsta, ut sibi commendationem
 meam maximoperè profuisse reapse
 sentiat. Sed nolo constans Tuum
 studium, quod optimis quibuscunq;
 inge-

ingeniis in omni officiorum genere cumulatissimè approbare consuevisti, ulterius laceffere. Potiùs finio, & Te, Vir maximè, Divino Numini comendatum, benè valere atq; salvere opto.

EPISTOLA COMMEN-
DATITIA III.

Quâ optimæ indolis Ju-
venem commendamus Pa-
trono.

NEscio sanè, quonam fato fiat, ut sive apud Te, sive hic sim, semper tamen Amplitudini Tuæ molestus esse cogar; ita quidem, ut vel amico gratificari volenti, non possit ejusmodi officium à labore ac fatione Amplitudinis Tuæ esse sejunctum. Recens certe hujus rei exemplum subministrat expectationis maximæ, & ob egregias animi dotes omnium favore dignissimus Juvenis N. N. qui post feliciter emensa studiorum spatia magna promotioni suæ promittit incrementa, si modò aditu
Tuò

Tuo venerabili frui sibi liceat. Fretus itaque qualicunque commendatione meâ, benevolentia Tuâ fores pulsat. Ego fanè non dubito, quin illum pro eâ, quâ polles dexteritate, recepturus, & si commode fieri potest, auctoritate Tuâ, quæ profectò maxima est, desiderium illius sis sublevaturus. Me certè quod attinet. ea omnia, quæ illi præstiteris, eò locò habebo, ac si mihi ipsi sint præstita. Interea vale ac vive quàm diutissimè. Faxit DEUS, ut semper excellens semperq; superior maneat Benefactoribus aliis. Vale.

Alia ejusdem argumenti
Epistola commendatitia, &
quidem in ordine IV.

Quem calidè semper amavi, eum favori Tuo nunc sisto. Utinam præsentem modò Juvenem, quem modestum ac industrium semper deprehendi, tali comitari sufficerem encomio, quale virtutes ejusdem merentur. Multiplici enim doctrinâ
ac

ac virtute ipse se omnibus tam arctè
 insinuavit, ut alieno teste ac interpre-
 te minimè videatur indigere. Intereà
 tamen dum comendatitias meas sibi
 apud Te profuturas intelligebat, nolui
 excurrentem ad Te sine parario com-
 meatuque certo dimittere. Tu verò,
 Amice honoratissime, pro Tua pru-
 dentia effice, ut in Juvene hoc ornan-
 do solus desudasse, imò laurum Del-
 phicam reportasse videaris. Ast ne be-
 nevolentiaæ Tuæ diffidere existimer,
 calamum hic sisto, si modò hoc priùs
 adjecero, ut præsentem hominem non
 alio loco habeas ac si germanus meus
 sit Frater.

EPISTOLA COMMEN-
 DATITIA V.

Quà publicæ commen-
 dationis argumentum exem-
 plumq; exhibemus.

SI quisquam est in optimorum Ju-
 venum coronâ lectissimâ, cui ego
 iudicii mei testimonium lubentissimè
 offero, hic profectò est, qui hæc Tibi

M

tra-

tradit litteras. Non enim illi solùm natura solers capax dedit ingenium, sed etiam omnes lætissima signa de futurâ ejus existimatione sustulerunt facillimè; imò ipse gravissimam sibi constitutam adversariam, & paratam inde incredibilem expectationem lætitiâque vicit generosissimè. Dignus profectò, qui eò locò habeatur, quò virtus à verè prudentibus solet æstimari. Quum verò præter alios Gymnasii Vestri Professores & Te veræ eruditionis pietatisque famâ inclaruisset cerneret, noluit sine commendatitiis meis coram Te comparere. Tantam enim fiduciam in verbis meis, ab omni fastu (ut nosti) alienis semper posuit, ut omnia se consecuturum arbitraretur, si modò munitam sibi cerneret viam ad contubernium Tuum doctissimum. Te itaque, Clarissime Vir, pro amicitia nostræ lege, officiosè benevoleque rogo, ut si quid residet amoris erga me Tui, præsentem Juvenem ita recipias, ut quàm humanissimè à Te receptum se intelligat. Ego vicissim
omni-

omnibus modis enitar, ut nec officii
Te poeniteat, nec fructum beneficii
omninò nullum Te percepisse con-
queraris. Vale.

**Exemplum epistolæ Com-
mendatiæ publicæ, quo in
Academiis defungi possunt
Proceres.**

Sistimus Tibi, Lector Benevole,
præsentem optimæ spei indolisq;
Juvenem, N. N. Nec enim copioso
nimisq; ornato sermonis genere no-
bis est opus; præsertim quum simplex
orationis veritatisq; candor omnem
omninò respuat ambitum. Ne itaque
& nos in suspicionem hujus vitii in-
cidamus, calamum nostrum ab omni
multiloquentiæ apparatu temperabi-
mus. Quartus jam agitur annus, ubi
modò laudatus præclari ingenii Ju-
venis in Studiosorum nostrorum nu-
merum cooptatus receptusque, legi-
bus nostris Academicis sese modestè
subjecit. Quàm anxie verò supra no-
minatus N. N. sibi commendata agno-

M 2

verit

verit optimarum artium Studia, id nemini meliùs, quàm nobis omnibus, divina humanaq; jura feriò heic profitentibus, hæctenus innotuit. Nos equidem, etsi illi non sumus, quorum causa magnoperè ej⁹ res velis pro notissima promptitudine Tua adjuvare, utpote qui conscii sumus mediocritatis nostræ. Sed tamen si eo etiam fortassis nomine mereri de eo paulò meliùs inducas in animum, id enitemur sedulò, ne qua occasio elabatur nobis vicissim gratificandi voluntati Tuæ, comòdisque Tuis inserviendi. Interea vale, Lector candide, ac feliciter age.

EPISTOLA COMMEN-
DATITIA VII.

Quà Rector Scholæ sollicitatur, ut Juvenem moribus probatis in disciplinam fidemq; suam recipiat.

Quantâ dexteritate, industriâ ac fide concreditam Tibi juventutem erudire, & ad desideratum illud fastigium, ad quod contendimus omnes,

omnes, provehere soleas, dudum ad nos, Vir Clarissime, est allatum. Magna proinde ad Nominis Tui famam celebratissimam accessio fiet, si Juvenem hunc in disciplinam fidemque Tuam receperis. Recipe ergo illum, & gravissimis laudatissimisque Tuis cohortationibus magis magisque accende, ut nullam aliam nisi arduam virtutis viam indefinenter calcet. Hac ratione fiet, ut postquam Te differente quotidie audiverit, ad tantum politum speculum mores suos eò citius ac certius componere possit. Ego quidem tanti beneficii semper memor vivam, nec Pater hujus Adolescentis, qui in magna apud nos vivit auctoritate, committet, ut frustra laborasse videaris, sed potius ea omnia, quæ ad referendam gratiam necessaria sunt, animò suo complectatur, reque ipsa dignum se tanti meriti testificationi ostendet.

Vale.



M;

Respon-

Responsoriæ ad Com- mendatitias, & quidem ex iisdem I.

QUàm tenerrimè mecum ipsò sim
gavifus, ex quò amantissimæ Tuæ
præter ullam spem expectationem-
que meam mihi advolârunt, vix quis-
quam credat. Præterquam enim quod
exacti Tui judicii vix meliores produ-
cere potuisses testes, tam gratum ta-
men fuit, quod ejusmodi vivum Ado-
lescentis exemplar in aciem produxe-
ris, de cujus egregiis profectibus tam
mihi quàm Tibi ex animo gratulor.
Scias itaque, me colloquio amœno ho-
minẽ excepisse, nec aliam Tibi persua-
deas velim me demonstraturum erga
optimum Juvenem mentem, quàm
quovis loco ac tempore officiosissi-
mam. Si quid prætereà in me fuerit
auxilii, si quid consilii, illud in amo-
rem ingenui hominis lubentissime de-
vovebo. Hosce namque Juvenes am-
are soleo, qui in morum sanctimoniã
& proficiendi conatu suas quærunt
delicias. Et quum etiam præter alias
exi-

eximias dotes, hæc in commendato, tanquam gemmas pretiosissimas deprehendam; expers profectò omnis humanitatis essem, nî amantissimum mihi pectus sincerò affectu exoscularer. Faciam itaque illud pro amicitia nostræ nexu constanter. Quod ut etiam Tu facias, propter indolem Tuam, omnium expectatione benigniorem, ne admoneri quidem debes. Vale.

Alia ejusdem argumenti Epistola responsoria II.

ET si quidem initiò verecundantis amore ambiguus hærebam, an responsoriam hancce manibus Tuis exhiberi liceret; fretus tamen singulari & omnibus jampridem noto laudatque erga me immerentem favore amoreque, non potui dimittere exhibitorem harum, quin comites simul adderem, quas hic spectat Claritas Tua litteras. Quanquam enim officii mei esse non nesciverim, respondere multò citiùs amicissimis
M 4 istis,

istis, quas è manibus optimi Juvenis nuper admodum accipere licebat, differendam tamen vel ex eo capite scriptionem censui, quod non ignorarem, difficulter hujusmodi fasciculos, qualem quidem hic mitto, transferri, nisi vicaria quadam amici cujusdam manu. Interea ut etiam hominem, quem mihi nuper commendatum voluisti, non negligam, scias velim, me foedus amicitiae nostrae religiosissime semper custoditurum, nec commissurum, ut optimae indolis mentisque Juvenis conquerratur, se non benevolentissime à me fuisse complexum. Tuæ contra aequitatis erit, ut veterem illam totque egregiis documentis haecenus firmatam demonstratamque benevolentiam non solum retineas, sed magnum etiam cumulum, si quid ad eandem corroborandam addi posse putes, adjicias. Quod ut ea, qua par est dexteritate facias, per amicitiae nostrae sacra reverenter observanterque Te rogo.

Alia .

Alia ejusdem commatis
Epistola ad commendaticiam
responsoria III.

SExcentis votis eam fortunam non
semel optabam, ut amicitiam no-
stram sub sigillo perpetuæ nunquam-
que intermoriguræ benevolentiaë
munitam, illibatam interruptamque
modò videre mihi contingeret. Et
fanè opinionem meam non fefellisti,
dum adolescentem jucundissimo flo-
re vernantem fidei meæ concredidi-
sti & quasi oppignorâsti. Ingratus
proinde sim, nisi de comòdis orna-
mentisque ejusdem cogitare seriam-
que suscipere curam gaudeam. Et
quamvis amabile illud & ab ipsis Gra-
tiis ambiendum pectus suspena tan-
tùm manu mihi comendaveris, o-
ptatum tamen illius officii pretium
reapse experietur optimus Juvenis,
ac si Tu ipse præsens esses. Hos enim
suavissimos amicitiaë fructus non so-
lùm judico, quòs inter nos ipsi per-
cepimus, sed & eos, qui ex amicitia
nostra ad alios dimanârunt. Sed ne

M 5

pro-

procuraciones Tuas , quibus semper districtus teneris , longiore sermonis ambitu remorer , calamum hic sisto , & ut is semper maneat , qui ab initio fuisti , calamo hoc , tanquam interprete mentis meæ officioso benevolè indico. Vale.

CAPUT. VIII.

De

EPISTOLIS PETITORIIIS.

EPistolas commendatitias excipiunt nunc Petitoria. Quatuor verò partes in iisdem plerumq; occurrunt. I. Conciliamus nobis benevolentiam ejus , à quo aliquid petimus. Id verò bifariam solet fieri , vel à nostra persona, vel ejus, quem rogamus. A nostra persona benevolentiam parare nobis studemus , quando virtutes ejus , nempe fidem , liberalitatem , benevolentiam ac humanitatem deprædicamus. II. Subnectimus in petitoriis petitionem ipsam , quæ
pars

pars propositionis dici consuevit. III. Argumentis ab honesto, utili, necessario, facili, opportuno deductis, persuademus. IV. Sequitur gratæ mentis testificatio, quæ absolvi potest Studiorum officiorumque nostrorum modestâ declaratione, aut excusatione. Sed accedamus nunc ad petitorias, & lineamentis Dispositionis qualiscunque ductis integrum petitoriarum Epistolarum corpus formemus, ut hoc pacto in petendo non nimis impudentes videmur. Intereâ gradum nostrum protollentes, primam adumbramus Epistolam petitoriam, ex quâ elucescet quomodo gratum animum erga Regem, Principem ac Patronos, quando ab iis affectos nos scimus beneficiis maximis, declarare debeamus.

Principe itaque loco
stet.



M 6

EPI

EPISTOLA PETITORIA I.

Ad Regem , à quo petimus subsidia ad Studia nostra eò melius feliciusque continuanda absolvendaque.

Potentissime Rex , Domine Clementissime.

DUM Ego ad munificentiaè Tuæ pedes cum observantissimo hocce pietatis Schemate supplex advolvor ; facio id nulla alia fini , quàm ut felicior modò surgam , ac in necessitatibus hisce , quibus nunc premor maximis , fortunæ meæ fastigium inveniam desideratissimum. Novi enim quod anxia petentium desideria benefico Tuo Genio augustissimum sternant theatrum ad sempiternæ gloriæ metam eò citiùs celeriusque perveniendi. Quod itaque Musis meis animam præ mœrore nimio ulterius fermè non trahentibus , salutare eveniat ; en ad Te , ô Potentissime Rex , tanquam ad sacram salutis meæ aram anchoramque submissè confugio ;

gio. Scilicet Regias Tuas manus tanquam divinos fontes universus prope modum orbis lætissimis intuetur oculis, dum easdem omnes boni tot miseris expansas deprædicant ac submisso osculo venerantur. Quid mirum igitur, si hæc ipsâ Clementia Tua allectus, in illustrissimum majestatis Tuæ conspectum humillimo hocce Gratia ambiendæ nunc prodeam parario. Nimirû in benignissimo Tuo, Potentissime Rex, auxilio ac suffragio fortuna mea hoc ipso tempore unicè volvitur. Respice itaque eam Serenissimo vultu, nec aliam eidem pro decantata humanitatis Tuæ gloria decerne mercedem, quàm Regiam Tuam Musas meas adjuvandi promptitudinem. Quod si eam feriis votis in partes meas traxero, quovis triumphatore felicior me putabo. Nec enim aliter possum, quin me jam tum paratum sistam, pro Majestatis Tuæ incolumitate ac salute ipsam meam ponere vitam.

EPISTOLA PETITORIA II.
Ad Principem pro sumti-
bus in studia Academica benigni-
ssimè conferendis.

*Serenissime Princeps, Dn. Cle-
mentissime.*

IS sanctimonix Tuæ est zelus, ea
meritorum gloria, idq; circumspe-
ctæ prudentiæ fastigium, ut nemo
fermè sit, qui imparem se non videat
ad ritè recteque effigiendam Virtu-
tum Tuarum illustrissimarum imagi-
nem augustissimam. Adeò per uni-
versum habitabilem orbem magnifi-
centissimorum Tuorum benefacto-
rum splendor se circumscribit, ut in-
fantes se lubentissimè profiteantur,
qui immensum illud infinitorum me-
ritorum mare exhaurire fatagant.
Nec ego tamen in veteri ære adhuc
vacillans erubesco, novum iterum à
Te, Serenissime Princeps, petere sti-
pendium. Quum enim studia mea
ad eam maturitatem nondum dedu-
xerim,

xerim, ad quam meritò adspirare debuiſſent, abrumpere tamen eadem ex defectu ſumtuum meritò cogerer, niſi in beneficentia Tua certiffimum mihi conſtitutum ſcirem auxilium. Succurre itaque iis ex generoſiſſimo Tuo zelo, & ſuppeties ſtudiis meis auxilii indigis glorioſiſſimè ferre non recuſa. Ego profectò non ceſſabo Divinum Numen indefinenter implorare, ut Te Patriæ noſtræ concuſſæ Patrem clementiſſimum, victis proſtigatiſque hoſtibus in ſacram priſtini honoris ſedem mitiſſimè iterum reponat. Sic fiet, ut qui in ipſius miſerabilis exitii ſcopulum impactus nunc es, nihil Tibi impoſterum deeſſe poſſit ad feliciter adminiſtrandam rem com̄unem; nec ego ceſſabo tanti meriti gratiam ſanctiſſimè memoriâ ac obſervantiâ religioſiſſimè ſemper celebrare.



EPI.

EPISTOLA PETITORIA III.

Ad Sanctiores Principis
Consiliarios,

Aquibus Studiosus petit
stipendium ac intercessionem
pro eo apud Principem.

IS meritorum Vestrorum, Magnifici
ac Nobilissimi Viri est splendor, ut
magnitudinem eorum nemo mente
fatis assequi, nedum pro dignitate
exprimere sufficiat. Quæ in eo etiam
insigniter apparent, dum hortatibus
Vestris & benignissima comendatio-
ne apud Serenissimum Principem ac
Dn. Dn. N.N. strenuos elegantiorum
litterarum cultores juvare ac prove-
here in Vestris habetis curis ac deliciis.
Quo certè favore si pluribus carendū
fuisset, non potuissent ea felicitate
coeptum studiorum suorum cursum
emetiri, multò minus ad justissimam
maturitatē suos deducere profectūs.
Huc pertinet novum illud benignita-
tis Vestræ exemplum, quo Serenissi-
mi

mi Principis Vestri heroicam voluntatem piis monitis flexistis ad eroganda Studiosis liberaliora stipendia. Agnoscere & ego cogor indigere Musas meas, si cujusquam alterius, subsidio & adjumento. Earum enim ea proh dolor! est conditio, ut de earundem immaturitate ex defectu sumtuū conquiri cogar, utpote qui optimarum artium cultui meas devovi cogitationes, jam verò in medio fermè cursu ex inopia subsistere cogor. Quamobrem Vos, Magnifici ac Nobilissimi Viri, ea quâ par est animi devotione submis- se rogo, ut qui Musarum indigentium commodis promovendis toti nati totique intenti estis, etiam mihi laudabilem istum affectum impendere, & suppetias studiis meis auxilii consiliique indigis, benevolè ferre proprietate Vestra velitis. De me certè spondeo, me nihil intermissurum, quod ad meritorum Vestrorum memoriam perpetuò celebrandam facere possit, omnemque operam, curam ac industriam in eo fixurum
loca-

locaturumque, ut amplissima Serenissimi Principis mei beneficia non profudisse, non perdidisse, sed apud gratum, memorē ac frugi hominem eadem reapse collocasse sentiatis. Quod superest, Deum Optimū Maximum supplex quæso venerorque, ut omni benedictionis genere cœlitus Vos cumulare, & actiones Vestras laudatissimas in Serenissimi Principis ac totius patriæ salutē clementissimè dirigere velit. Ita ex animo vovet

Magnificentiarum Vestrarum

*humillimus obsequentissimusq̃
cultor cliensq̃.*

Alia ejusdem argumenti
Epistola petitoria & quidem in ordine IV. quâ Studiosus Professores sollicitat, de comendatione ad Serenissimum Principem exaranda, pro impetrando aliquò studiorum subsidio.

NUnquam profectò ausus fuisssem,
Amplissimi Clarissimiq̃; Viri, literis

eris hisce inconditis in venerabilem Vestrum prodire conspectum, nisi benignitas Vestra in juvandis promovendisque adolescentiæ conatibus ultrò me provocaret. Præsertim verò erigit me præter publicam illam pulcherrimæ æternumque mansuræ famæ vocem, excellens Vestra & multis magnisque documentis egregiè parta auctoritas, quæ etiam facit, ut Vestrum apud Serenissimum Principem pro impetrando aliquo studiorum meorum subsidio ambiam intercessionem. Optimis equidem studiis, ut nostis, meas hæctenus devoti cogitationes, & nihil prius nihilque antiquius mihi habendum duxi, quàm ut illa ad desideratam modò proveherem maturitatem. Verum quia speratam illam magni sumtuùm defectus intercipere incipiunt, proinde non dubito, quin pro ipso, quo polletis favote, studia mea potenti Patrono, & hac quidem vice Clementissimo nostro Principi de meliore nota commendaturi, Ejusque Celsitudinis benignitatem mihi non illu-

illubentes sitis conciliaturi; idque ut
 facere non desistatis, reverentia
 quanta possum maxima, Vos omnes
 rogo. Neque est quod verear, inter-
 cessionem Vestram irritis successi-
 bus redituram, quum ea ipsa, quæ sa-
 luti meæ conducere auguror, non
 aliena sint à Vestra dignitate. Quod
 si huic petitioni meæ justum relique-
 ritis locum, promitto, me omni co-
 natu id acturum, ut aliquando Deo,
 Ecclesiæ ac proximo pro modulo
 meo utiliter queam inservire & Vos
 comendationis Vestræ minimè pœ-
 nitere debeat. Sed ne vobis, ò Ma-
 gni Viri, loquacitate mea ulterius sim
 molestus, finio hac vice, Deumque
 imortalem supplex quæso veneror-
 que, ut animum Vobis istum quo
 prodesse omnibus gaudetis, propri-
 um perpetuumque faxit, quò ma-
 ximo possitis esse emolumento
 mortalibus cunctis.



EPI.

EPISTOLA PETITORIA V.

Quâ Studiosus magni cu-
jusdam Viri favorem atque
benevolentiam petit.

A Udaciæ reus Tibi forsan, sume
Vir, videbor, dum haud vereor
litteris hisce levi tenuique stylo scri-
ptis, in venerandum Tuum prodire
conspectum, negotiaque, quæ nun-
quam non gravissima facile auguror,
istis jam interpellare. Quæ mea haud
vulgaris confidentia licet aliqua ex
parte quidem excusanda veniat, nihil
tamen magis dolet, quam quod pro
meritis officio meo defungi non æque
sit facultas quam voluntas. Et sanè val-
dè erubescerem, nisi Tua nunquam sa-
tis laudata comitas, quâ omnes littera-
rum amantes complecteris, justissimã
pro me suggereret excusationem. In-
terim tamen fatebor quod res est. A-
cuit hoc meum scribendi propositum,
& ad id plenis, quod ajunt, velis me in-
stigavit magnus Tuus erga me imme-
rentem favor, quem non ita pridem
mul-

multis magnisque documentis corroboratum deprehendi. Enim verò tum temporis omnia, quæ ad me ornandum promovendumque pertinebant, ea Tu mihi, Vir maxime, singula, placidâ ac benevolâ, imò paternâ prope dixerim, comonstrâsti mente. Utinam nunc pro insigni illo beneficio, imò quod beneficio omni longè majus æstimo, aliquid reponere sufficerem. Verùm nihil in me tanto merito dignum reperio, quum ne gratias quidē debitas Tibi persolvere par sim. Intereâ tamen ut levidense saltem à me Tibi oblatum videas pignus; en ingenuam hanc paupertatis meæ confessionem benevole accipe. Ego certè per omnem vitam nihil aliud tam ferio exoptabo, quàm ut benevolentiam modò Tuam propriam perpetuamque conservare digneris cultori clientique Tuo ad-
dictissimo.



EPI.

Epistolæ petitoriaæ Exem-
plum VI. quo Studiosus egenus
defungi potest apud Oppidanum, ut
necessarios nimirum ad studia felici-
ter continuanda benevole imposte-
rum suggerat sumtus.

Non inscitè ille, qui Magistratum
sacræ contulerit anchoræ. Ad
hanc enim sævientibus maris procel-
losi tempestatibus accurrunt nautæ :
Æquè ad magistratum difficillimis
hiscè temporibus cives. Civis & e-
go sum Vester, Quare & mihi, ò
Dii Patrii, succurrite, & ex genero-
sopietatis Vestræ Zelo non comitti-
te, ut ego honestè cœptam studi-
orum telam iterum relinquere cogar.
Natus sum, ut nostis, parentibus qui-
dem honestis, ast pauperibus tamen,
qui, tantum abest ut victum domi i-
psimet habeant, ut potiùs ad studia
feliciter inchoanda, continuanda,
ac felicissimè tandem absolvenda
sumtus necessarios mihi suppeditare
prorsus prohibeantur. Quid facien-
dum hìc mihi erit? Num forsan ani-
mum

mum abjiciam & ad vilissima quæque
 me projiciam? Hoc profectò quò mi-
 nus faciam, humanitas Vestra, tot e-
 gregiis argumentis hætenus proba-
 ta, dissuadet. Agite igitur, ô Atlantes
 prudentissimi benignissimiq̄ue, an-
 chora & hic mihi sitis, & me sub gra-
 vissimo paupertatis onere miserrimè
 gementem, placidissimâ benevolen-
 tiæ Vestræ aurâ sublevate. A dignis
 certè dignum peto. Vos estis ma-
 gistratus patrius. At, quid Magi-
 stratum magis decet, quàm Musarum
 cultoribus religiosè providere,
 eorundemq̄ studiis laudebilitèr sup-
 petilas ferre. Succurrite itaq̄ue ô be-
 nignissimi Musarum afflictarum Pa-
 troni ac nutritores munificentissimi
 paupertati meæ, atque stipendium
 aliquod benevolentissimè mihi adsi-
 gnate. Certè quicquid in me collo-
 catum erit beneficii, id omne abundè
 ad Vos iterum redibit. Quin potius
 Sponsorem pro me interpono ipsum
 Deum, qui etiam frigida aquæ hau-
 stum dignis exhibitum, non inanem
 dimittet, sed compensabit eundem
 lar-

largiſſimè. Cujus fortiffimæ tutelæ Vos omnes ac ſingulos ſincerè religioſeq; comendo, nunquam comiſſurus, ut Ampliffimorum Nominum Veſtrorum obſervantiam, utpote altiffimis mentis meæ fibris repositam alius quiſquàm ipſa mors mihi auferat. Valete, & tam publicas quàm privatas res multorum mortalium meique bono quàm feliciffimè ſemper gerite. Iterum valete.

EPISTOLA PETITORIA VII.

Quâ Studioſus Patroni ſui
favorem petit ambitque.

DIu anceps hæſi, Magne Vir, num incomtis hiſce tempora Tua, utpote quæ nunquam otioſa ſcio augurorque, morari audeam. Vicit tamen verecundiam meam eruditiffimum Tuum pectus, quod audax hoc meum facinus facillimè, uti ſpero ac confido, excuſabit. Quid enim, quaſo majori abominationi expoſitum eſſet, quàm nullo conſilio, nulloque Patronorum favore frui. Quam labem

N

quum

quum Virtus in facundissimo Tuo pe-
 ctore prorsus deleat, impetū ego ce-
 pi, & cujus nomen absque trepidatio-
 ne usurpare antea non licebat, ejus
 fores nunc pulsandas statui sincero
 hoc addictissima mentis voto. Quæ
 Tua igitur, Patrone Maxime, est glo-
 ria; en studia mea favori Tuo sincerè
 impòsterum comendata habe. Nec e-
 nim aliã de me concipias velim opini-
 onem, quàm quod observantia ac fide
 amorè affectumque Tuum promere-
 ri nullam ex desidia quadam ortam
 prætermisurus sim occasionem. Vale
 & amare illum perge, qui se Amplis-
 simo Nomini Tuo totum obstrictum
 devinctumque profitetur.

EPISTOLA PETITORIA VIII.

Quæ de officio Scholasti-
 co Magistratum sollicitat. Stu-
 diosus.

Nisi de placidissimis moribus Ve-
 stris mihi constitisset, hanc ad
 Vos scribendi provinciam non de-
 sumsissem. Ast quum publica famæ

VOX.

vox eos Vos velit, qui erga neminem morosi sint: Hinc eò certiore spe ductus litteras hæc observantiæ in Vos meæ testes esse volui. Erumpat proinde ignis iste, quem intra præcordia mea diu fovi, nec alium Vobis demonstret calorẽ, quàm intensissimum. Interea dum votum meum, cui me dudum mancipaverã, Vobis exsolvendum erat; en illud eò æstimate locò, quasi ab industrio homine sit profectum. Probè enim sine dubio impressum Vobis sedet tam altè inflicto vulnus, quod Schola Vestra in amisso Rectore optimo tristissimã facie adhuc hodiè ostendit. Quũ verò cathedra Scholastica nemini adhuc, sicut audio, sit decreta; en pro benevolo erga me imërentem affectu eam mihi quæso designate. Ego sanè in eo ero totus, ut pulcherrimam istam famam, quæ aliàs à fide pietateque conspicuis proficiscitur ingeniis, laudabili exemplo, ipsisque rerum argumentis reapse demonstrâsse videar. Faxit Deus, ut telam, quam orsi estis, detexatis feli-

cissimè , & maximâ summis Vestris
in rem litterariam meritis laude fru-
amini quàm diutissimè.

EPISTOLA PETITORIA IX.
Quâ Studiosus à Parente
rogat pecuniam.

DUm sumtuum meorum necessi-
tas Tibi , Venerabilis Dn. Pa-
rens , erat probanda , qui poteram
aliter , quin filialis observantiæ me-
mor , necessario hoc officio apud Te
submissè defungerer. Probè enim ad-
huc sine dubio nosti , quàm importu-
ni ut plurimum in Academiis debito-
rum necessariorum degant exacto-
res , adeò ut nisi statò tempore quis
exsolvat , statim fides , dexteritas &
honor optimi interdum hominis pe-
riclitentur. Accedit quod futor sar-
torque , omnesque fermè cives alii ,
quorum ope ac opera carere nequi-
mus , provocandi sint pecunia ma-
gnâ. Et quum ego etiam hoc ipso
tempore certâ pecuniæ sumâ indige-
am , noli quæso , Genitor honoratiss-
sime .

sime, comittere, ut ex diuturnâ mora
 nomini meo labes aliqua adspargatur,
 sed potiùs ad delendum æs alienum
 centum thaleros primâ datâ occasio-
 ne mihi trans mitte. Hoc enim pa-
 cto in museò ac platea liber esse po-
 tero ab incurforibus istis asperrimis,
 utpote qui nihil aliud hæcenus didi-
 cere, quàm instar furibundorum ho-
 minum grassari, & ad exigendas pe-
 cunias exactio nibus suis subrusticis
 Studiosos compellere. Sed nolo de
 paterno Tuo auxilio ampliùs dubita-
 re. Finio itaque & maximis preci-
 bus abs Te contendo, ut non alio lo-
 co me habeas, quàm qui filiali ob-
 sequio Tuam semper expleat volun-
 tatem. Hanc verò qui meliore ra-
 tione in partes meas vocare potero,
 quam si tempus optimarum artium
 cultui consecratum, non inanibus
 nugis transmisisse, sed potiùs saluta-
 taribus meditationibus devovif-
 se videar. Vale.



N 3

For-

Formula petendi generalis ad Fautorem X.

MUltis jam tum ante beneficiis
 finum meum implevisti : nec
 ego tamen adhuc desisto desiderium me-
 um de novo Tibi iterum expone-
 re. Nosti enim vitæ meæ conditi-
 onem miserrimam. Quapropter et-
 iam atque etiam peto , ut causam
 illam, quam aliàs satis cognitā habes,
 favore ulteriori prosequi digneris.
 Præstiteris mihi certè hoc nomine
 rem longè gratissimam. Ego contra
 non cessabo Divinum Numen arden-
 tissimis sollicitare precibus , ut omnia,
 quæcunque in me contuleris, largif-
 sima manu Tibi iterum refundat. Uti-
 nam modò *δέκα* mihi sint *γλαΐτες*,
δέκα δὲ σοῦατα, ut, qua veneratione
 ac pietate Te colam, devotissimo ca-
 lamo animoque Tibi possim signifi-
 care. Sed ne patientia Tua ulterius
 abusus videar, vale. Deus Tibi

Con

*Concedat summâ quicquid virtu-
te mereris*

*Perpetuoq; ratum, quod dedit,
esse velit.*

**Similis petendi formula
Patronum, & quidem in or-
dine X I.**

QUI Tuus semper florens con-
stanteque erga me fuit affectus,
is non tantum ad illustre hoc huma-
nitatis certamen me provocat, sed
etiam viam mihi munit ad petitionem
novam. Tibi enim, Patrone opti-
me, salus mea suprema semper lex
fuit. Perge ita, ò seculi nostri Nestor
maxime, in hac durissima, quâ nunc
premor necessitate, mihi semper
præsto esse. Sic Te tanquã Numen ali-
quod salutare cum aliis multis Vir-
tuti Tuæ addictis ingeniis ve-
nerari non prohibe-
bor.



N 4

Re-

Responsorïæ ad Petitorias & quidam I.

Accepi petitorias Tuas. Optarem equidem, ut propensissimum meum erga Te affectum fortuna non destitueret, utpote quam in amicorum meorum desideriiis morosiores sæpè; quàm par erat, sum expertus. Interea tamen ut stipendium illud, de quo mentionem iniecasti, quantocyus obtineas, omninifuturo posthac laborabo. Hoc enim pacto reapse experieris, Te non frustra in officiis meis fiduciam collocasse. Tu modò perge nobilissimam illam pietatis virtutisque orbitam laudabiliter imposterum calcare. Sic propitium Numen in omnibus actionibus Tuis copiosissimè semper persentisces.



Re-

Responsoria Professoris
ad petitoriam Parentis II.

Quâ de profectibus Filii
& honoris gradu obtinendo suam
profert mentem Philosophiæ
Doctor.

Quanquam nullus dubitaverim,
quin nuperæ meæ vel solo illo,
quod præ se ferebant argumento, se
Tibi satis essent commendaturæ; ju-
cundum tamen quàm maximè id fuit
cognoscere ex dato ad me eoque hu-
manissimo responso. Si quid igitur
in salutem filii Tui me unquam con-
ferre memini, hoc duplo posthac,
ubi fieri poterit, augebo; non nesci-
us, præcipuam saltim gaudii acces-
sionem tum toti spectatissimæ fami-
liæ, tum Tibi præsertim, Vir Amplif-
sime, fieri. Amare, nimirum paren-
tes liberos, tanquam ex se aliquid, di-
cente Philosopho, quî mirum igitur,
quod ex eorundem præclaris conati-
bus teneriorem quoque, imò & pu-
riorem concipiant voluptatem. Non

N s

pos-

possum tamen non laudare, quod
tam prudenter affectum paternum
cum singulari cura ac sollicitudine vel
contemperas, vel illustras, id quod
ex hoc solo colligere licet, quod Fi-
lius super ambiendo impetrandoque
Candidati titulo veniã postularet, Tu
annuere quidem, quin & majora
honorum insignia, quibus ipsum
ornari malles proponere, dubitare
tamen & ex me primùm quærere
cœperis: sitne Idē eã imbutus doctri-
nâ, iisque ingenii dotibus instructus,
ut honorem dignè consequi atque
tueri imposterũ pro dignitate queat?
Quod ipsum affirmare licet arduum
videatur, quia tamen de homine
optimo id testari tutò & facilè pos-
sum, in quod Collegium nostrum
jam semel consensit; en calculum me-
um de novo. Nolim asserto meo, vel
quicquam detrudere ipsius modestiæ,
quæ utique non patietur, ut omninò
consumatæ eruditionis gloriam ad
huc usurpet. Salvâ interim fide, Ti-
bi, Vir Fautorque maximè, persua-
deo, sic satis eum instructum esse ap-
paratu

paratu illo, qualis à Candidato Philosophiæ requiri debet ac potest. Neque collatio honorum ad alium finē est dirigenda, quā hominibus in majoribus jam constitutis, ad majora & ipsam solidioris perfectionis arcem aditus præparetur. Tu modò, Venerabilis Senex, vide, ut spectator fias præmii à filio reportandi. Sed & finis scribendi est faciendus. Deo igitur Te comēdatū, ex animo salvere ac valere jubeo.

Responsoria Amici ad petitoriam familiaris III.

Affectum meum, quem Tibi æternū sacrum esse volo, non possum quin vivo demonstrē exemplo. Tua enim elegantissima virtus rarā cum doctrinā conjuncta invitāt me, ut exilibus hisce lineis occupatissimas Tuas horas morari audeam. Intereā injucundum mihi fuit auditu, postquam ex litteris Tuis cognovi, dirā ac durā Te hoc ipso tempore premi fortunæ novercantis violentiā. Tu verò pro notissimā

N 6

dex-

dexteritatis Tuæ gloria non statim
 restim aptabis collo, licèt res Tuas
 ad restim redactas videas. Animo
 potiùs sis Achillèo, nec aliam de stu-
 diis officiisque meis suscipias velim
 cogitationem, quàm optumam fru-
 ctuosissimamque. Vale.

Responsoria Epistola ad petitoriam amici IV.

Quâ quis de amicitia
 conservatione sollicitat alte-
 rum.

EGregia fanè excellensque Darii
 vox est, quâ amicum cautum be-
 nevolumque κλημάτων πάντων εἶναι
 τιμιώτερον salutatur. Nec profectò affer-
 tum hoc sine pondere recedit. Dum
 enim coeleste Numen mentes nostras
 sanctissimò foedere conpulavit; Inju-
 rii certè erga humanam conditionem
 sumus, nisi adamantinū hocce amici-
 tiæ semel stabilitæ vinculum interru-
 pta serie servemus inviolabile. Quæ
 ita que amoris nostri debet esse inte-
 gri-

gritas, omnem curam industriamque
 imposterum adhibeamus, ne tristi-
 tiæ insperatæ nubecula nostra iterum
 dividat corda. Ego certè in eo ero
 totus, ut animus gratificandi Tibi
 nunquam desit. Tu modò vide, ne-
 iniquus adversus me deprehendaris.
 Quo in voto desino, & ut hoc Tibi
 modò persuadeas velim, quod Sol
 prius splendorem suum clarissimum
 sit amissurus, quàm Tui amor apud
 Me sit intermoriturus.

CAPUT IX.

De

EPITOLIS VOCA- TORIIS.

Epistola Vocatoria pri-
vati ad Virum doctum.

QUum prudentissimus noster Se-
natus optimo consilio secum sta-
tuerit, eruditissimos quoque haud
pœnitendis stipendiis in provincias
suas adsciscere: Eòdem egregio ani-

N 7

mi

mi impetu motus, Te quoque, utpote ob spectatã eruditionem celebratissimum Virum, per publicas litteras advocare jussit. Et quũ per me honorificum munus offerri Tibi verbis suis voluerit; ut si isthinc forsan demigrare averes, liberrimus Tibi aditus pateret. Quæres hìc fortassis quid Tibi auctor sim? Scias itaque velim, me lubentissimè videre, si lautissimã hanc conditionem amplecti modò desideros, ut excurras ad nos quantocyus. Consules hoc pacto honori Tuo quàm optimè. Tu, ò Optime, quid hãc de re statuas, velim primã datã occasione ad me perscribas. Ego certè tanquam sponsor fidelissimus Tibi promitto, quod Amplissimus noster Magistratus adeò benignissimè Te sit excepturus, ut nunquam instituti hujus Te pœnitere queat.

Vale.



Re-

Responsoriam ad Vocato-
riam I. quâ innuimus, quod im-
pares nos sentiamus in administran-
do illo officio publico, ad quod nos
velit Magistratus.

QUum nulla sanctior cogitatio à
Magistratu bono unquã suscipi
possit, quàm bonorum artium ac par-
tium Studiosos fovere ac juvare. Ne-
scio tamen quî fiat, quod imparē me
prorsus sentiam tam arduo mune-
ri, ad quod evectum me voluistis,
obeundo. Optârim equidem tanta
mihi ingeniî eruditionisque vis adef-
set, ut aliqua saltim ex parte exspe-
ctationi Vestræ respondere valerem.
Ast quum in theoriâ solâ me occupa-
tū hæctenus invenerit quilibet, nec
praxin cum illâ, sicut par erat, huc-
usque conjunxerim. Hinc eo certi-
ore spe ducor, fore, ut benignitas
Vestra adversantem voluntatem me-
am pro innatâ Vobisque propria,
Prudentissimi Viri, comitatis gloriâ
sit sublevatura. Probato nihilomi-
nus de cætero studia mea, cuicumque
tan-

tandem vitæ generi à Vobis alligabor. Ceterum quum tot innumeris beneficiis me jam tum ante oppignoratam nôrim, injurius meritò sim, nisi devotionem meam Vobis per omnia impofterum probem. Vos modò Patres Patriæ noſtræ benigniffimi facite, ne amœniffimos falutaresque favoris Veſtri rivof erga me ulla ratione videam clauſos. Valete.

**Reſponſoria ad Vocato-
riam II. quâ pollicemur, quod
prima datâ occasione comparère, &
oblatam nobis functionem Eccleſia-
ſticam præſentiâ noſtra ornare
decreverimus.**

Si vitam pro dignitate Veſtrâ, Pru-
dentiffimi Viri, profundere ſuſti-
nerem, nullam meritorum Veſtro-
rum partem unquam me conſecutu-
rum arbitrarer. Adeò nullam, imò
ne minimam quidem inire poſſum ra-
tionem declarandi Vobis, quantis
obſequiis me Vobis devinctum agno-
ſcam. Inter illa verò haud poſtre-
mum

num est, quod functione non poenitendâ studia mea provocare, eademque publicæ quasi luci exponere, ex generoso prudentiæ sanctimoniæque Vestræ zelo laudabiliter decrevistis. Neque enim ad munus Ecclesiasticum ritè rectèque obeundum temerè ac importunè sese aliquis ingerere, sed potiùs vocatione legitimâ moribusque inculpatis auctoritatem aliquam sibi colligere debet. Et quamvis ego ad meliorem uberiolemque sacrarum litterarum cultum capeffendum lubentissimè non nihil hìc substitissem; vocem tamen Vestram pro eà non imèrito veneror, ac si supremus animarum nostrarum Pastor dixisset: sequere me! Hujus dicti fiducia & ego nunc erectus, sequar Vos Patronos Promotoresq; meos munificentissimos, & spartâ illam, quam de cœlo mihi quasi datâ adsignatamq; novi, adminiculante Divini Numinis gratia suscipiam, de cœlesti divinoque auxilio nunquam dubitaturus. Interea votorum meorum sumâ ac meta hæc sit, ut Deo fideliter imposterum serviam,

viam, Ecclesiæ salutariter prosum, & in observantiæ inclupatæque vitæ studio ac studio nemini cedam. Faxit modo supremus rerum arbiter, ut omnia decurrant ex animi voto. Valetè.

CAPUT X.

De

EPISTOLIS SUASORIIIS

AC

HORTATORIIS.

Petitoriis Vocatoriisque missis ad hortatorias Epistolas nunc sese noster porrigit labor. Sunt verò hortatoriæ, quæ aliquid faciendū hortantur ac suadent. Jam verò non solum suademus honesta & utilia, sed etiã possibilis ac jucunda. Certè quando aliquē ad rei alicujus amorem inflammare paramus, tunc dicere solemus, rem istam esse piam, honestam, utilem ac gloriosam. Nemo enim ex Aristotelis asserto lib. Ethic.

6.c. 5.

6. c. 5. consulat de iis, quæ adesse nequeunt, neque à se agi. Quinque alias Exhortatoriarū Epistolarum partes solent esse. *Prima pars est Exordium*, quod constabit aut ejus ad quē adhortationem scribimus benevolentia insinuatione, curæ, sollicitudinis, studii ac officii declaratione: aut litterarum raritatis excusatione. *Secunda pars est Narratio*. Et hæc est partim directæ, partim indirectæ. *Tertia pars est Propositio*, quæ suasionem ad amplectendum aliquid infert. *Quarta pars est Confirmatio*, quæ continet 1. causam impulsivā 2. finem 3. effectum 4. Exempla 5. adjunctā facultatē 6. adjunctam suavitatem. *Quinta pars est Conclusio*, quæ absolvitur aut adhortatione, aut petitione, aut libertatis ac severitatis in adhortando mitigatione, aut studii officiique nostri pollicitatione. Sed properemus ad varias hortatoriarum Epistolarum formulas, ex quarum censu præludat
nunc,

EPI.

EPISTOLA I.

Quà hortamur Juvenem
ut fructuosam suscipiat peregrinationem.

MEntem Tuam, ornatissime Juvenis, verè igneam exosculor suavissimè. Studia enim elegantiorum litterarum non solùm acriter sed & alacriter urges. Sed audi quæso; *Μαυροί εἰσις* non facile probant cordati Viri. Humiles namque plebeiæque sunt animæ istæ, quæ domi semper resident. Illa divinior nobiliorque hominis pars est, quæ motu gaudet. Hic ergò Te Virum præstes oportet. Optimum verò exemplum ipsò factò atque opere declarabis, si patrias deserueris sedes. Sed dicas, quid fiet de nitidis sapientiæ rivulis? Hoc certè in itinere jūsto cum fructu suscepto, non denegabunt optimi quique. Tu modò cura, ne instar histrionum stolidos affectatosque, sed mores personâ Tuâ dignos tecum afferas. Abi ergò salvus, quod moneo
redi

redi salvus, quod opto. Quod si
prætereà aliquid desideraveris, en
monitum meum boni consule:

*Claude animos auresq; Tuas se-
ptemplice cerâ,*

*Exemplo atq; Ithaci disce cavere
Tibi.*

*Sic tandem optatam venies in
Colchida tutus.*

*Et plus Phryxæo vellere dives
eris.*

Intereà vale, & si sapias, Jasonis phar-
macum arripe, ne Sirenum blandos
cantus audias. Sic aliquando doctri-
nam, prudentiam ac sapientiam ad
votum Tuum reportabis. Vale,

EPISTOLA II.

Quâ hortamur calum-
niis peticum hominem, ut noxia
conviciatorum tela erectâ ferat
cervice.

Vicem Tuam ex animo doleo,
quod hoc ipso tempore famam
Tuam, tanquam purissimam vitæ
gem-

gemam, noxiis calumniatorum telis
defixam videas. Ast quum præpostera
plebeiarum mentium consuetudo sit
sopiente fallenteque quasi morfu
summa quæque peterè: Idcirco non du-
bitabo, quin calumnias omnes for-
titer erectaque cervice sis laturus.
Nosti enim, quod bonus animo-
susque miles levia omnia & circum-
galeas crepitantia tela generosè con-
temnat: ita etiam Tu sis animatus
in elidendis argutis calumniatorum la-
queis. Nec enim in alios vilissimæ
hæ animæ tela sua armant, quàm in
eos solum, quos virtute, doctrina,
aut alia laude eminentes deprehen-
dunt. Quid mirum igitur, quod
conviciatores jus suum iniquissimum
in Te hodiè exercent, utpote quem
clarissimæ eruditionis luci jamdu-
dum expositum sciunt? Tu modò
fac, ut innocentia patientiaque Te
munias. His enim clypeis latratus
omnes iniquorum frangere ac re-
tundere poteris quàm citissimè. Sed
nolo memorè monere, utpote qui pro
sua prudentia ipse didicit, quod ad-
ver-

versa omnia leves tantum animos auferant, bonos contra ac in virtute firmos non evertant. Vale.

EPISTOLA III.

Quâ reconciliationem cum inimico urgemus.

Infortunium Tuum, ò Amicorum
Ioptime, nimium quantû indolui,
postquam audivi, tantâ inter Te & no-
tissimum illum morosum Virum ex-
arsisse diffidii flammam. Non defue-
runt sine dubio buccinatores diaboli-
ci, qui Vos ad infame hoc certamen
accenderunt. Sed noli quæso (quæ
Tua est prudentia) indomitis hisce
hominibus, quibus os datum sine
freno ullo, fidē ulterius adhibere. No-
sti enim quod præcipui calumniarum
architecti & quasi parentes sint men-
dacium ac invidia. His certè crede-
re, ac pro unâ acceptâ voce duas
tresque reddere, indignum sanè fo-
ret, & à notissima mansuetudinis
Tuæ gloria prorsus alienum faci-
nus,

nus. Obvertes quidem, quod atrox fuerit injuria, & à tali Viro nusquam speranda. Sit ita; quis probabit? Tu tamen (quæ Tua est pietas) non concedes, ut in cœcâ irâ perseverâsse videaris. Id potius agas velim, ut muta fiant labia dolosa, quæ adversus Te loquuntur. Sed ne longiore sermonis ambitu Te detineam, sisto hac vice hic calamum meum, & pro amicitia nostræ lege Te moneo, ut de jure Tuo aliquid remittas. Remittes autem, si ad exemplum Diogenis Cynici Te à scomatibus non contritum gloriaberis. Interea vale, & fac, si honorem Tuum aliàs illibatum florere desideras, ut conviciatori Tuo omnis contumeliæ fructus pereat.

EPISTOLA IV.

Quâ hortamur aliquem
ad continuanda elegantiorum
litterarum studia.

DUm ad illustrem Juliam, tanquam ad bonarum artium mercaturam es profectus, turpissimum foret,

foret, si quis inanem Te inde redire videret. Tu proinde quantum potes, fac & effice, ut animum Tuum ad verè sublimia appellas. Prætereà auctor suaſorque Tibi ſum fideliffimus, ut Teipſum quotidie ſuperare diſcas. Hoc enim, Platone iudice, præſtantiffimum victoriæ eſt genus. Hæc bonorum omnium gloria certiffima, ut quotidie meliores evadant. Et dum Tu etiam hoc ipſo tempore in nobiliſſimo elegantiorum litterarum curſu conſtitutum Te viſes, omni quæſo animi contentione effice, ut optimam pulcherrimamque de Te conceptam exſpectationem non ſolum expleas, ſed etiam egregio Tuo exemplo reâpſe ſuperes. Superabis verò eandem facillimè, ſi adverſus omnes juventutis illecebras animum maturè obfirmaveris. Certè ſi marmoreæ moles terrenique tumuli intercidunt: quidni majori in pretio erit immortalis ingenii fama. Hæc certè parentum noſtrorum ſuſtinetur fama ac gloria. Tu modò perge in laudatiſſimo elegantiorum

O

litte-

litterarum studio majora impo-
 rum emetiri spatia. Sic Tibi necessa-
 rii sumtus non deerunt, imò Deum
 Fautores parentesque Tibi reddes
 propitios ac benevolos. Sed ne et-
 iam inmemor vivas moniti mei, fac
 quæso, ne persuasioni in acquisitis
 profectibus Tuis plus justò tribuas.
 Nosti enim quod nulla nocentior ho-
 nestorum animorum pestis detur,
 quàm si adeò magnificè de sese multi
 sentiant, quasi omnes Latinorū Græ-
 corumque opes uno potu exhausif-
 sent, Vale.

EPISTOLA V.

Quâ hortamur Studio-
 sum, ne nomen suum dec
 militiæ.

OBstupui certè voxque faucibus
 hæsit, postquã audivi, Te fune-
 sto exitiali que bello nomen Tuum da-
 re desiderare. Sed audi quæso sanam
 rationem, utpote quæ certissima aliàs
 consiliorum omnium salutarium dux
 rectorique esse consuevit; hæc certè
 non

non suadebit ut inter tot fortunæ vulnera veram animi magnitudinē prius quærere debeas. Nosti enim, quod plerique milites discant errando. Sicut namque agricolâ sterilitas, architectū ædium lapsus, equitem casus crebri, nautâ graves procellæ acuunt: ita militis artē infauſta prælia, quasi tristes fidiq; edocent magistri, atque ubi sit erratū, plagis admonent violentis. Prætereà non adeò Tibi excidisse certus sum vetus illud odium; quò univèrsus propemodum orbis prosequitur eos, qui militum ordini sese adscriptos sciunt. Taceo hac vice, quod illi, quibus blandior fortuna integris violatisque forsan esse permisit, manubiarum loco zonam interdum reportent inanem, & gravissimâ scele- rum sarcinâ onusti, perpetuum conscientia deperditæ persentiscant tortorem. Adeò difficile hodiè est innocentem vivere in bello. Et quamvis stadium illud, quod gloriosè hæctenus emensus es, durum molestumque Tibi videatur; crede tamen mihi, quod major dignitatis gloria ex

isto campo, qui in optimarum artium studiis decurritur, sit speranda, quàm si militiæ sacramento nomen Tuum præter necessitatem ullam offeras. Tu modò spem fiduciamque Tuam in Divini Numinis auxilio religiosè pone. Quod si enim in eximiâ illâ nunquamque satis laudatâ virtutis viâ strenuè perrexeris, tunc nullum dubium supererit, quin omnes aliquando amplissimam nacturi sint occasionem de tot partis eruditionis consummata bonis Tibi ex animo gratulandi. Vale.

EPISTOLA VI.

Quâ urgemus editionem
promissi scripti.

Qui nuper admodum sitim meam prorsus expletam putabam, nunc inani spe delusum me video. Dum enim nobilissimos industriæ Tuæ fructus expectam, nescio tamen, quis obex Tibi sit positus, quod saluberrimum Tuum consilium iterum mutaveris. Scio equidem, quod
nihil

nihil diligentiae ac celeritatis laudem
 simul possit habere. De Tuo tamen
 scripto hoc mihi polliceor, quod il-
 lud facillimè emptores sit inventu-
 rum, etiamsi nulla illi appensa sit he-
 dera. Quæ Tua itaq; nobilissimi Tui
 ingenii est dexteritas, perfice quæso,
 ut formosam Tuam filiam, quam per
 tot annos domi aluisti, primâ datâ
 occasione in scenam producas. Cer-
 tè nisi de humanissimo ingenio Tuo
 mihi constaret, non iustinerem peti-
 tione hâc frustrâ apud Te defungi.
 Intereâ magnum cumulum prioribus
 meritis Tuis adjicies, si tot lauris co-
 ronisque nobilitatam prolem, quæ
 neque comendatitiis, neque concilia-
 tore ullo habet opus, in publicam
 emiseris arenam. Tu modò mane in
 sententia Tua, neque ab illa ullâ rati-
 one Te avelli sine. Sic multas in Tui
 Tuæque filiae laudes acues lin-
 guas. Vale.



O 3

EPI.

EPISTOLA VII.

Quà hortamur Studio-
sum, ut tempus, tanquam rerum
omnium pretiosissimam rem in Aca-
demicâ palæstrâ benè recteque
collocet.

QUOD Divini Numinis indultu be-
nignitateque vivus valensque ad
illustrem Juliam tanquam fidissimam
rectorum studiorum nutriculam
perveneris, prolixissimè lætor. In
illâ enim expectatam opimamque
veræ eruditionis messem metere
nunc poteris certissimè. Sed (quæ
Tua est sanctimonia) fac quæso, ne
cum aliis sibi relictis Juvenibus otio
inerti torpeas marcescasque. Probè
namque nosti, quod omne illud tem-
pus, feriis studiis non rectè consecra-
tum, pereat. Non dicam jam de ja-
cturâ, quæ à doctis Viris irreparabi-
lis aliàs solet vocari. Rectè itaque fe-
ceris, si unius temporis avaritiam re-
putaveris honestissimam. Certè
nullus dolor tam penetrans esse po-
test, quàm qui ob pristinam amissi
tem-

temporis recordationem vires suas in
desidorum œconomorum animis pe-
ctoribusque explicat. Tu potiùs ani-
mum Tuum studiis rebusque honestis
intendes, ne nimis serò cum aliis, gra-
vi veterno torpentibus hominibus
ingeminare cogaris Evandri illius
Virgiliani querelam acerbissimam:

*O mihi præteritos referat si Ju-
piter annos!*

Neque enim dubito, quin apertis o-
culis egregia illa bona, quæ Tibi tan-
quam possessori circumspecto con-
credidit providentia divina, æstima-
turus sis rectissimè. Tu modò fac,
ut ad excelsum illud virtutum digni-
tatumque indefesso vigilique labore
provocandarum fastigium propedi-
em conscendas. Sic eò major for-
mosiorque in hæc ipsâ probitatis are-
nâ Tibi relinquetur diligentia
palma. Vale.



EPISTOLA VIII.

Quà Adolescentem hortamur, ut pravum vitet consortium.

QUM eo in loco Te nunc degentem videam, ex quo tanquam ex equo Trojano viri in omni eruditionis genere exercitatissimi olim prodierunt: idcirco facere non potui, quin Te pro amicitiae nostrae facris amicè hortarer. Qui itaque Tuus est Genius, fac quaeso, ne occasione tam praeclarae oscitanter indormias, ac Parentum Patronorumque Tuorum expectationem frustreris. Nosti enim quod diligentiae palma Tibi omnibusque iis, qui proficere modò gestiunt, sit proposita. Praeterea non obscurum Tibi forsitan sedet argumentum illud, quod ad bonarum artium litterarumque mercatum sis amandatus. Impius proinde eris, si non cautè mercari didiceris. Certè pro odorifero virtutis balsamo omnium scelerum pyxiden reportasse, ingens profectò dedecus foret. Ego equidem
non

non ambigã, quasi monita mea ab animo Tui amantissimo profecta, non æstimaturus sis rectè; sed potiùs in ea versabor opinione, Te misso confortio noxio ita victurum, ut aliquando ad amplissimos honorum gradus non obstructam cernas semitam. Gravissima sanè in hoc ætatis flexu Tibi constituta est adversaria; ast si eam pertinaci studio viceris, incredibilis Tibi inde parata erit virtutis exspectatio. Quo in voto desino, & optima quæque de indole Tua modesta mihi polliceor incrementa. Vale.

Ad Suasoriam Responso- riæ Amicorum Epistolæ.

ACcepi litteras Tuas, & lætor imensum, quod fores ad ulteriorem amicitiam patefactas mihi videam. Agnosco certè inde animi Tui in virtutem proni candorem apertissimum. Meritò igitur obstructum me sentio, quò omnibus humanitas officii Te iterum provocem. Quanquam
O s enim

enim ex ea ratione infelicem me judicem, quod neminem hactenus habuerim, cui meas tutò committere potuerim; gestio tamen hâc ipsâ occasione promptitudinem meam in scribendo Tibi facere testatam. Intereâ gratulor mihi ex animo, quod me à Te præoccupatum quasi sentiam. Quo ipso argumento devinctum me novi salutaribus Tuis admonitionibus imposterum benevolè obsequendi. Et quidem eò majore fiducia desiderii mei testificationem demonstrabo, quò excellentius momentum salutis meæ additum gratus recordor. Quod superest, persuadeas Tibi velim, me semper bonorum ingeniorum conversationem quæsiturum, nec commissurum, ut ex dissoluti cujusdam hominis moribus corruptis contagium aliquod traxisse videar pestilentissimum. Vale.



Alia

Alia ejusdem argumenti Epistola Suaforia.

QUUM in catalogo amicorum me-
 orum deprehendam neminem ,
 qui salutem meam magis faveat, quam Te
 unum, ô Amicorum optime. Hinc ne-
 fas esse putavi, nisi Tibi in amore ite-
 rum responderem. Utinam modò
 præsens de statu meo tecum confer-
 re possem, tunc profectò gaudium
 hoc omnibus aliis rebus antepone-
 rem. Ast quia spatiosa locorum in-
 tervalla nos disjungunt, comittere
 tamen nolui, quin calamo, tanquam
 fidissimo pectoris mei interprete a-
 pud Te defungerer. Quæ Tua itaq; pla-
 cidissimorum morum Tuorum est fa-
 cilitas exoptatissima, perge quæso mi-
 hi in hoc juvenili vere constituto cal-
 car addere, ut in offeso cursa ad editum
 serenumq; sanctimoniam veram templum
 properem. Interea persuadeas Tibi
 velim, quod subministrata cohorta-
 tio Tua intimis sensibus meis prorsus
 defixa sedeat. Tu modò perge in a-

morte mutuo paria mecum facere. Nec enim aliter possum, quin ultimo loco hoc quoque addā, quod partem amicitiae semel stabilitae judicem potissimam, ut quilibet in semel suscepto amore se praebeat constantem. Vale.

CAPUT. XI.

De

EPISTOLIS NARRATORIIS.

IN Narratoriis seu nunciatoriis Epistolis hanc orbitam ut plurimum premere solemus, ut de amici rebus potius ordiamur, quam de nostris. Si quid enim in iis laetum, gaudeamus, eique gratulemur: si in tristissimo statu eundem constitutum videamus, vicē ejus doleamus, eumque simul moneamus, ut adversas res fortiter erectaque cervice ferat. Quod si de nobis aliquid narremus, magnoperè cavendum, ne rebus ad voluntatem nostram fluentibus, ali-

aliquam arrogantia; adversis autem
 abjecti fractique animi significatione
 demus; omninoque id agendum, ut
 mores viro bono digni e narratione
 ipsa elucescant. In responsione no-
 stra ad narratoriã sic procedamus, ut
 I. demonstramus non ingratum no-
 bis fuisse officium ejus, à quo certio-
 res redditi sumus de amici, rebusque
 nostris. II. Nobis incumbit, ut
 gratum ei declarem animum, à
 quo salutaria amicaque nobis monita
 profecta scimus. III. Officii nostri
 est, ut rogemus de præstandis hujus-
 modi mutuae amicitiae officiis aliis.
 Addere denique possumus, nos ope-
 ram daturos, ut nobilissimam illam
 amici pectoris testificationem alio
 modo ac genere resarcire iterum valea-
 mus. Sed accingamus nos itineri,
 & per viva exempla Narratoriarum
 Epistolarum usum delineemus. Quod
 itaque bene vortat! Prodeat in
 scenam.



EPISTOLA NARRATO-
RIA I.Quã de Statu Academiae
agimus.

PEculiare ac quasi proprium sinceræ amicitiae est documentum, ut si argumenti inopia nos non retineat, exhilaremus amicum nobis pectus frequenti alloquio. Et quum ego etiam hoc ipso tempore in clarissima luce me constitutum nôrim, stupidus profectò stultusq; sim, nisi voti mei fidem quantocyus liberem. Faciam itaq; quod erit in proclivi, & Academiae nostræ statum optimũ ac florentissimum eã dexteritate Tibi demonstrabo, ac si ipsemet præsens esses. Nisi enim hujusmodi laurus præfigeretur foribus Musarum nostrarum, dubitarem non imëritò, utrum quis Academiae nostræ amore irretiretur. Certè egregius prorsus hujus loci est genius, quoad salubritatem aëris potusque nemini cedens. Prætereà peritus hic Professorum ordo conspicitur, adeo ut Cræsum ipsum felicita-
te

te nostrâ antevertamus. Taceo hac vice de aliis jucunditatibus gazisque, quas tot justitiæ Sophiæque Sacerdotes pandunt nobis quotidie. Quid, quod etiam de comodissima habitatione nemo ex Studiosis conqueri unquam possit. Cornea proinde fibra sedeat cultori isti, qui non magnorum Geniorum fama æterna allectus jucundissimos profundissimosq; veræ doctrinæ heic sibi polliceatur fructus in optimarum artium studiis ac exercitiis honestis. Sed nolo Tibi flagrantio rem erga Musas nostras ingenerare amorem. Te potius prima data occasione in Parnasso nostro exspecto. Nam sine Te lilia mihi nigra amaraque videntur: Nec sapiunt fontes, sed acescunt vina bibenti. At si Tu veneris, tunc candida fient lilia, & sapient fontes, & dulcia vina bibentur. Interea vale, nec puta, me in mutua benevolentia contentione Te esse inferiorem. Utinam modo suavissimo Tuo conspectu mox frui mihi liceat!

EPI.

EPISTOLA NARRATORIA II.

Quà de cœde Studiosi cu-
jusdam narramus.

Rem atrocem, quâ nulla exitiosi-
or unquam fuit, Tibi jam narro.
Juvenis enim pius, qui ultima paren-
tis sui spes adhuc esse putabatur, ne-
farii cujusdã latronis manu miserrimè
nuper cecidit. Exhorruit fanè ani-
mus atrocitate rei, postquam audi-
vi, quod pestis ac perniciēs patriæ
nostræ omni pietate conculcata, ho-
minē ætatis flore virentem, in quo
certè maximæ spes residuæ adhuc e-
rant, uno velut ictu prostraverit.
Heu dolor! heu squalor! Sane nisi
oculi acerbissimis lacrymis stillan-
tes dextram mihi retraherent, tunc
prolixiori sermone luctū meum Tibi
exponerem. Tragœdiam tamen o-
mnem prout ea sese habet, tristis-
simis hisce includam cancellis. In-
tererat optimus Juvenis convivio,
ad quod invitatum se noverat, læ-
tus hilarisque. Quid autem fit,
vix ad serenitatem se componens
ex.

exploratissimorum morum adole-
scens, accipit vulnus in sinistro late-
re. Dubii adhuc hærebamus, utrum
peritâ chirurgi manu damnum illud,
quod passi eramus, refarciri non
potuisset. Sed imotus stabat constans
concorsq; Parcarum ordo. Nihil jam
supereft, quàm ut è morte ad cœlestē
vitam vocato, benè præcemur, & pa-
tratores tam diri cruentique facino-
ris divinæ ultioni tradamus. Cor-
pus defuncti perendiè mandabitur
terræ. Tu modò (quæ Tua est pie-
tas) seriò nobiscum Divinū Numen
interpellabis, ut tragicos hujusmodi
casus à finibus nostris clementissimè
imposterum avertat. Vale.

EPISTOLA NARRATO-
RIA III.

Quâ de miserandâ pa-
triæ nostræ facie agimus.

QUum in hanc vitæ scenã nos na-
tura ideò duxerit, ut suæ quisq;
fabulæ non spectator, sed & actor sit;
ab omni prorsus curiositatis linea re-
motus

motus irem, nisi Tibi miserandam patriæ nostræ faciem ob oculos ponerem. Tu enim tanquam popularis fidissimus eodem civitatis jure mecum gaudes. Quo nomine etiam omnia, quæ domi nunc geruntur, ad Te pertinere putabis. Certè exploratas habere acerbis temporum vices calamitatumque causas, non potest non ubique expedire. Quanquam in omnibus malis acerbius sit videre, quàm audire; Te tamen sine participatione doloris mei dimittere nequibam. Paucis itaque hæc habe, quod, nisi internum illud animi bellū prius sopiatur, & rationi tanquam reginæ seditiosi civium affectus subjiciantur, vix sperari possit inviolabile pacis sanctissimæ pignus. Nec enim putes aliud quid in plerorumque pectoribus nunc æstare, quàm rabiem quandam ac insatiabilem innoxii nocendi ardorem. Sed Deum rogemus, ut frenum injiciat iis, qui tantâ contentione classicum ad intestina bella canunt. Sic nullum dubium supererit, quin calamitatum omnium finem ac

ter.

terminum visuri aliquando simus saluberrimum. Quo in voto desino & ut Divino Numini prolapsam pietatem seriis precibus comendes; imò si fieri poterit, afflictam patriæ rem in veterem dignitatem prudentiâ Tuâ vindices, omnibus votis abs Te sincerè devoteque contendo.

Ad Narratoriam Responsoria.

ET si multis hætenus argumentis flagrantissimum Tuum erga me imèrentem perspexi affectum; tamen nuperrimæ Tuæ litteræ vivis eundem mihi delineârunt coloribus. Tàm accuratè enim erant perscriptæ, ut non imèrito dubitem, utrum majoribus documentis fidem Tuam oppignorare potuisses. Quamvis non sine ardenti amaroque dolore audiverim tristissima de statu publico & miseranda patriæ nostræ verba; lætatus tamen sum, Deoq; gratias egi maximas, postquam Te, amicitiam nostram tanti facientem depre-

prehendi, ut etiam lacessere me literis Tuis non dubitaveris. Antevertisti me certè, fateor, & partes illas, quas meas potius esse putabam, benevolè occupasti. Quò nomine non mediocri abs Te beneficio affectum me profiteor, utpote qui nihil magis in votis habeo, quàm si par pari modò reddere sufficiã. Interea non leviter me recreat, quod videam Te rectissimæ voluntatis conscientia, tanquam rerum acerbissimarũ condimento longè suavissimo erectum incedere. Ex quo domestico teste eximius quoque hinc ad Te redundat fructus, quod neque ferrum, neque exilium pro instrumentis crudelitatis efficacibus agnoscas, sed potius certus sis, omnes humanas miseriae atque calamitates certum ta idẽ finem modumque in sanctissimo Divini Numinis auxilio invenire. Tu modò fac, ut mentem unam in duobus pectoribus divisam credamus. Vale.

EPI.

CAPUT XII.

De

EPISTOLIS QUERULIS.

UT querimoniam nostram in amissis charis nobis capitibus indicemus, & si quæ forsan alia hâc in vitâ nobis obtigere amara, justissimo doloris sensu persequamur, ex hisce forsan rationibus inventas putemus Epistolas querulas. Certè, quando cogitationes nostras præ mœrore nimio accensas scimus, tunc profectò nullas alias nisi tristissimas in confortium nostrû advocare valemus cogitationes. Et quî possimus conclamatis hisce temporibus aliter, quin fatalẽ illum tot deplorandarum rerum circulum acerbis comitemur lachrymis. Ut itaque generi huic sua constet integritas; en periculum faciemus in extruendis nonnullis formulis, ut hac ratione ad reliquas species aditum nobis non præclusum doleamus; Interea ne imôres vivamus promissi

missi

missi nostri, nolumus hac vice nimis licentiosè evagari in aliis parùm utilibus rebus, sed potiùs ad effundendas lachrymas funestas non componemus. Tu modò indubitata ac certissima humani generis Spes atque salus adspira cœptis nostris benignissimè, ut quæ hac in vita nobis eveniunt, fortiter erectaque cervice feramus. Sic aliquando tanquam constantes Nominis Tui confessores sub vexillo Tuo eò fortiùs militâsse videbimur. Sed vix præ largis lachrymis dolorem nostrum comprimere valemus, en statim sequitur.

EPISTOLA I.

Quâ immaturum Principis nostri obitum deploramus.

Qui scientiâ bellandi vel Julio Cæsari; arte vero ac peritiâ regendæ reipublicæ Augusto; imò omnibus omnium seculorum Principibus clementiâ ignoscendique facilitate

tate par erat, exanimis nunc jacet. Cecidit enim proh dolor! capitis nostri corona. Quare concurrite cives, & everfam prostratamq; columnam Vestra altissimis adspicite suspiriis. Certè non sine causâ Nemo tempus illud vocat postremû, quo unô voluti ictu Rempublicam cernebat exhaustam. Quale hoc nostrum opinabimur? Nullam equidem aliam eidem adsignare poterimus faciem, quàm tristissimam O dolor! o funus verè acerbum! Ita scilicet tristitiæ vehementia amoris magnitudini semper respondet. Scytha proinde sit, qui in tanto funere non largissimis indulgeat lachrymis. Quare ut nos quoq; Principi nostro ultimum pietatis observantiæq; debitæ honorem solvamus, en Nestori nostro nihil nisi sincerè lætum apprecamur. Faxit Deus ut qui nunquam intermoritura sincerioris vitæ famæque sibi paravit monumenta, æterno quoque fruatur gaudio. Ego interea violis rosisque tanti Herois sepulchrum conspergo, & si votis meis aliquid possum, à
sum-

sumā Majestate seriis precibus contendo, ut, sicut à fonte rivus, à stirpe frutex; sic à prima Junioris Principis, utpote quem paternarum vereq; regiarum virtutum hæredem auguror exoptatissimū, accedente informatione seria solidaque infiniti in Republicā ac subditos redundant fructus. Tu verò ò æterne ac imense DEUS.

Ærumne nunc pone modum, certaque ruina

Fac finem, belli desinat omnis amor!

Ferrea fac cessent, redeant secula aurea contra,

Et reflorescat pacis amica quies.

EPISTOLA II.

Quā mortem Theologiæ
Doctōris deploramus.

FELicitate excidimus amisso Doctore nostro, de cujus constantia igneisque pietatis exercitiis quicquid dixerimus, nihil erit. Et tamen demigravit à nobis candidus ille celestis

stis doctrinæ veritatisq; assertor. O
tristē & sacris nostris Musis fatalem
casum! Noluit nimirum optimus Se-
nex cū perditissimis ingeniis ulterius
conflictari, sed potius in cœlesti au-
la verum purumque aurum quærere
desideravit. Quo etiam nunc ditatus,
à facie ad faciem DEUM intuetur, e-
jusque arcana ac mysteria sine fine ri-
matur. Nos contrà tot casibus ex-
positi, in vanitatis scena adhuc sta-
mus: ubi

*Luctus & ultrices posuere cubi-
lia cura,*

*Pallentisq; habitant morbi, tri-
stisq; senectus.*

Nec enim cœlum tot vicibus est ex-
positum, quot nos homines. Arri-
deat aliquando nobis fortuna: Mox
vehementius irascetur, & breve ac
volatile bonum longis diuque ma-
nentibus malis pensabit. Taceo hâc
vice, quod aliis rebus nulla unquam
fides sit habenda. Certè, quem ad
imperium modò extulerat fortu-
na, eum mox mittit sub durissimum

P

ser.

servitutis jugum. Benè itaq; illi precemur, qui terrestria cum cœlestibus permutavit fructuosissimè. Quod nobile iter ad verè æterna bona quum veteranus noster miles invenerit rectissimè: Quid causæ habemus, quin ei æternam perpetuæ pacis olivam serio apprecemur. Quæ Tua proinde est felicitas, ò sanctissime Præco, fruire partis modò bonis. & æternum nunquamque finiendum in regiâ Dei Angelorumque aulâ age triumphum. Sed dum sanctissimorum Geniorum choris Te ita imixtum cerno, penè obliviscor mei præ mœrore nimio. Faxit modò DEUS, ut anxio spiritu omnes verè fideles Te mox sequantur. Tu verò, ò Amicorum optime, justissimo dolori meo benevolè ignosce, & si per occupationes poteris, in amore mihi iterum amanter responde. Vale.



EPI-

EPISTOLA LAMENTATO-
RIA III.Quâ mortem Parentis
nostri deploramus.

EN funestum Tibi, ò Amicorum
dulcissime, affero nunciũ. Patrem
enim meum, quem hætenus habui
optimum, proh dolor! amisi. O do-
lor! ò luctus! ò lacrumæ filio non de-
generi dignæ! Certè nisi eundem eo
ipso temporis articulo amisissem, quo
fulcrum studiis meis esse potuisset,
tunc eò faciliùs ad patientiam me
componerem, Ast, quid faciemus
in tantâ animi consternatione? Num
forsan impatientiam nostram tan-
quam clypeum voluntati Divinæ op-
ponemus? Absit ut iniquum hoc me-
dium eligamus, Potiùs feremus id
malum, quod humanâ ope declinare
non sufficimus. Quum enim Deus
nil nisi utiliter & ex salute nostra no-
strorumque id sit, faciat: Impii profe-
ctò simus, si id immoderato animo su-
scipere sustineamus, quod tamen
benignissimo Numini ita placuit. Na-

tura doloris recens suas hic quidem fundat lachrymas; aſt ratio eas temperet ac leniat. Ut enim flere eſt humanum, non comoveri verò beluinum: Ita triftitiam ſuam moderari, eſt opus filii moribus cōveniētiſſimum. Quis namq; lachrymis ſuis, quantumvis acerbiffimis, parentis ſui præſentiam deſideratiſſimam è terra in vitam revocare unquam potuit. Nemo profectò. Quamvis unicum hoc mihi amoris monumentum adhuc ſuperſit, quod tanquam in polito ſpeculo abſentis Genitoris mei imaginem contemplari adhuc ſufficiam. Quod votum etiam eo cultu ſemper exſolvam, ut nemo filialis pietatis ignem erga ſanguinis & poſt DEUM, vitæ auctorem, videat extinctum. Sed gemitus acutique in corde meo oborti dolores calamum meum ſufflaminant, quò minùs plura innati amoris ſigna edere hac vice poſſim. Finio itaque & lachrymis obſigno chartam hanc erga deſideratiſſimum Parentem meum amaris.

EPI,

EPISTOLA IV.

Quâ mortem Patroni nostri acerbis prosequimur lacrumis.

Utinam nunquam accidisset, quod non sine maximo eoque profundissimo cordis mei dolore accidisse nuper admodum accepi. Nempe largissimas nunc in sinum Tuum effundere cogor lacrimas, ubi gaudia potiùs erant indicanda. Cecidit enim Palladium, unicumque præsidium nostrum. Ah vixit gaudium meum, nunc nostrum omnium mœror! Nec enim puto, quod ex alienis calamitatibus plus calignis oculis effundi possit, quàm ex hac nostra. O triste planeque acerbum funus! ô mortis hora in expectata! Noster namque is erat, qui reconditâ doctrinâ suâ tot aliorum defectus excellentissimè supplebat. Jam verò ex arce sanctissimorum Geniorum, in quam ab Angelis est delatus, ardentes illis oculos, quibus impietatem profligabat, in nos conjicit. Jam constantissimi

P 3

vigo.

vigoris pulcherrimæque quietis ac libertatis æternæ beneficiô fruitur. Nos contrà tot miseriarum calamitatumque nebulis circumsepti, vulneratos nos videmus tam altè inflictiviulneris magnitudine. Intereà dum omnipotentis Dei manus nondum est decurtata, pectus nostrum munimemus solatio divino, utpote qui probe memores sumus, quod omnia, quæ nobis defunt, sumus Jehova largiri velit copiosissimè. Respiciat modò is ex machina altissima res nostras afflitas, & abundè det, unde tam luculentum damnum resarcire iterum valeamus.

EPISTOLA V.

Quâ de prolapsâ ac deperditâ valetudine nostrâ querimus.

QUANTOPERÈ vis ac sævities febrilis cujusdam caloris artus meos depascere hætenus tentârit, vix Tibi credibile forsan videtur. Certè ne horam, imò ne momentum quidem ullum sine gravissimis doloribus numerare

merare possum, ubi non dirissima symptomatum variorum examina experiri cogar. Interim tamen in voluntate Divina lubentissimè acquiescam, utpote quæ sola efficere potest, ut in bonæ valetudinis portū opinione citius incolumis iterum digredi possim. Nec enim dubito, quin salutis meæ magister optimus Christus Iesus benignissimè mecū sit acturus, cujus bonitati Te meque religiosè comendo. Tu modò vale, & omnibus numeris absoluta fruire felicitate. Iterum vale.

EPISTOLA VI.

Quæ de intermissione litterarum querimus.

Licet non tam imprudens rerum sim, ut sinistra quid de Te ominer. Tu enim abituriens quondam tantam benevolæ Tuæ mentis testimonium mihi inspirabas, ut nullam, imò ne minimam dubitationem de rupto amicitiae nostræ vinculo mihi persuadere potuissem. Nescio tamen quo malo fato accidisse dicam, quod nul-

las hæctenus à Te viderim litteras. Tu itaque ea, quæ ad me pertinere putabis, fac, ut quantocyus mihi significes. Hæc ratione omnem mihi de conceptâ Tua inconstantiâ adimes ægritudinem. Quo in voto finio, nihil magis optans, quàm ut Deus firmam Tibi præstet sanitatem & annos Nestoreos clementissimè duit.

EPISTOLA VII.

Quæ querimur de inconstantia Amici quondam optimi.

NULLUS equidem dubitaverim, quin memori mente hæctenus Tecum circum tuleris, quàm sanctum ac venerabile amici optimi sit nomen. Tu tamen sepeliisti hæctenus promissum Tuum, verbis scriptisque litteris ininitum. Probè quidem adhuc nosti, quàm sincerè stabilitam semel amicitix legem ego semper servaverim, Tu verò eandem prorsus vis deletam. Addeò nihil hic orbis, quod perenne sincereque lætum sit, possidet. Quamvis

vis nobiliorem in pectoris mei scrinio adhuc de Te foveam opinionem, utpote quæ non finit, ut mihi persuadeam, quin optimam semper erga exploratissimum amicum Tuum retenturus sis mentem. Ego equidem nullum aliud in mente meâ erigam monumentum, quàm amoris certissimi, vereq; ignei. Tu modò effice atq; fidelissimam amicitia nostræ copulã nunquam imposterum videam interruptã. Vale. Sed audi: Nondũ Te plenè planeque absolvi: Venit enim hãc ipsã horã ad me optimæ monetæ amicus, qui Te ex animo salvere jubet. Iterum vale.

CAPUT XIII.

De

EPISTOLIS CONSOLATORIIS.

Visis perlustratisq; hætenus Epistolis querulis, nunc prono ordine progredimur ad Consolatorias. Dantur verò eæ vel rectæ, vel obli-

P 5

quæ

quæ. *Rectæ* abstergunt ut plurimum
dolorem ex argumentis idoneis. *Ob-*
liquæ contrâ constant ex cuniculis. Et
I. quidem, quando dolorem nostrum
testamur. II. Quando atrocitatem rei
augemus III. quando nos, tanquam
ad consolandum inidoneos, excusa-
mus. IV. Quando afflicti fortitudinem
ac pietatem extollimus. V. Quando
votum sincerum pro incolumitate ac
felicitate superstitum adducimus.
Nonnunquam verò aliâ progredimur
viâ. I. Minuimus calamitatem, & di-
cimus, non tantam eam esse, ut ca-
sum insperatum tam acerbè dolea-
mus. II. Ob oculos ponimus lacruma-
bilem humanarum rerum conditi-
onem. III. Concludimus, & dicimus,
stultum esse in naturæ leges, & con-
tra fatorum cursum velle peccare.
Aliàs quatuor Epistolarum consola-
toriarum ab Epistolographis peritis
exhibentur partes, nempe Exordi-
um, Propositio, Confirmatio, & de-
nique Conclusio. *Exordia* in consola-
toris constant vel significatione do-
loris, mœroris luctusq; ex amici casu
per

percepti, ac modesta virium ingenii-
que nostri extenuatione vel amoris,
benevolentia, studii atque officii
comemoratione: Vel sapientia atque
animi magnitudine deprædicatione;
vel denique petitione ac depreca-
tione, ne propter litterarum rarita-
tem aut tarditatem, aut intermissam
ad tempus consolationem Amicum
in miseris neglexisse videamur. *Pro-*
positio ipsam contineat consolati-
onem, ne agrè nimis molesteq; ad-
versam fortunam ferant Mecœnas
sumus, Fautor, amicusque optimus.
Confirmatio absolvitur captatione be-
nevolentia, quod nimirum argumen-
ta nostra supervacanea putemus ad
leniendum prudentissimi cujusdam
Viri luctū. *Conclusiones* absolvuntur
aut voluntatis promptissima, operæ,
studii officiique pollicitatione ac de-
latione, aut ad animi magnitudinem
adhortatione, aut denique voto pio,
ut Deus Mecœnatem amicunque
nostrum alia occasione exhilarare
iterum dignetur. Sed dum pericu-
lum in Consolatoriis facturi sumus,

statim sub primum adspēctum se
sistit.

EPISTOLA CONSOLATO-
RIA I.

Quà Jctum, Conjugis suæ
obitum acerbissimè lugentem,
consolamur.

ET si tristitia acerbâq; casus Tui tem-
pora interpellare reformidem ;
non possum tamen aliter, quin Chri-
stiani hominis officiô defungens, Ti-
bi, Excellentissime Vir, præsens hoc-
ce exsolvam debitum. Quum enim
castissimam thori vitæq; Sociam non
sine insigni familiæ Tuæ jacturâ ami-
feris, quis in luctuoso illo optimæ
Matronæ obitu pias lugendi causas
non accendat potiùs, quàm succidat ;
præsertim quum vulnus adhuc sit re-
cens, & cum plena dolendi materia
conjunctum. Et sanè, qui modò sic-
cis oculis orbos adspexit parvulos,
non alias nisi tristissimas in consorti-
um advocabit cogitationes. Verùm
quum prudens animus ad patientiam
se

se componat, nec ulla doloris vi de
statu melioris mentis sese dejici pa-
tiatur, cur magno invictoque animo
non feras ea, quæ mutare jam non
vales. Extulisti quidem Conjugem,
singularis probitatis ac virtutis laude
conspiciam; ast quur inideas beatif-
simæ felicitatem, quam nunc possi-
des consummatam? An forsan grave Ti-
bi videtur, quod dulcissima Ejus
præsentia orbatus, in solitudine nunc
degas? aut durum, quod eam non
habeas, cum qua olim animi secreta
solebas comunicare? Scilicet DEUS,
unicum illud mentis Tuæ solamen ex
turbido hocce vitæ Oceano ad perfe-
ctissimum Angelorum contuberni-
um vocavit, ubi jam gaudio fruitur
sempiterno. Neque mireris, quod
nunc primùm incipias domesticæ ca-
lamitatis tædia persentiscere. Ipse
Tui liberorumque Tuorum curam
minimè deposuit. Quid ergò contra
æternum hunc cursum moliris, dum
scis, quod nihil tam exasperet fervo-
rem vulneris, quàm ferendi impati-
entia. Hinc Solinus memoriæ pro-

P 7

didit,

didit, Heraclitum ac Diogenem Cynicum nunquam de vigore animi aliquid remisisse, sed dolorem potius omnem sub jugū misisse. Quid Tibi hic faciendum putabis? Nonne cum tot Veteribus Philosophis calamitati domesticæ generosam animi constantiam oppones? Ut taceam Pisones, Scævolas, Mauros, Metellos ac Marcellos, aliosque magni nominis Romanos, à quibus tanquam Ethnicis Christianum animi magnitudine superari, indignum forsan poterat videri. Noli oblivisci Te Jctum esse, talemq; Virum, qui aliis olim salutaria consilia subministrare consuevit. Nec enim hic imitandos Tibi velim proponas medicos malos, qui in alienis morbis profitentur quidem, se tenere artem medendi, cum tamen ipsi se curare non possint, sed potius in voluntate divina serio acquiescas. Quum enim Deus nihil nisi tempestivè faciat: An feres ægrè, quod opificum suum ad se iterum receperit? Quis metallum perire dixerit cum liquefcit, & positâ per ignem scoriâ
in-

in signis materiae statuum præbet ?
Idem de Tua sumere nunc liceat au-
gurium, utpote quæ per mortem jam
defæcata, in splendidissimam imagi-
nem Dei transit. Noli ergò imode-
rato suscipere animo, quicquid be-
nignissimo placuit Deo, quem sequi
prima sapientia est: Sed recollige Te,
& justissimo mœrori Tuo finem mo-
dumque statue. Natura doloris re-
cens suas hic quidem fundat lachry-
mas; ast ratio eas temperet, & pru-
dentia leniat. Ut enim flere huma-
num est, non comoveri verò belui-
num: Ita tristitiam suam moderari
est opus sapienti prudentique Viro
convenientissimum. Cogita potiùs
utrum lectissima Tua uxor indigeat
lachrymis, utpote de quâ certus es,
quod ad æternum perfectissimorum
Spirituum domicilium migraverit,
ubi nunc dulcissimos Virtutum sua-
rum fructus ac sinceræ pietatis præ-
mia ex voto delibat. Jam, quidnam
de parvulis educandis ulterius ob-
tendes? Nosti namque quod pro-
vida mater nutritu suo eosdem Ti-
bi

bi

bi tradiderit probos, & (quod maximi solatii loco stare poterat) amantes Tui ac reverentes. Finge autem nonnihil temporis iisdem esse impendendum: An forsan imatura Eius absentia Tibi tædium aliquod pariet? Certè, quæ in tot animis corporibusque suorum vivit, ne quidem obiisse videtur. Quorsum itaque lamenta ac suspiria? Ast, quid ego memorem moneo, utpote qui pro decantatâ prudentiæ suæ gloriâ ipse didicit, forriter ferre id, quod Deus ferre voluit, nec mutari jam potest. Desino itaque, & Sacro-sancti Spiritus gratiam in gravissimo hocce casu rectè ferendo Tibi, consultissime Vir, ex animo precor. Vale.

EPISTOLA CONSOLATORIA II.

Quâ Patrem, Filii mortẽ,
lugentem, erigimus.

SERUS equidem venio consolator,
Ast sincerus tamen. Dum enim Fili-
um Tuum, qui tot vota, totq; amplif-
simas

simas spes dudum accenderat, extin-
 ctum vides; impius meritò sim, nisi
 cor Tuum tristissimum pharmaco sa-
 lutari iterum reficiam. Quæ Tua ita-
 que est prudentia, Vir Clarissime, fac
 quæso, ut consiliis sumi experientif-
 simique Senatoris non indignisse
 videaris. Nosti enim quod fors ac fe-
 licitas illorum quàm maximè veniat
 deprædicanda, qui malis impenden-
 tibus maturè eximuntur. Quis proin-
 de Filium Tuum infelicem iudicat,
 quod eum tanquam pretiosissimum
 thesaurum amissum nunc videas ac
 deplores. Scilicet sicut ignis, quò
 clarior fulsit, eò citiùs extinguitur:
 ita ingenia, quò illustriora, eò quoq;
 breviora sunt. Quanquam nullus du-
 bitaverim, quin voluntati Imperato-
 ris sumis lubentissimè sis subscriptu-
 rus, utpote qui ad se iterum transtu-
 lit, quod antea dederat curarum so-
 lamen ac dulcissimum senii Tui leva-
 men. Sed nolo vulnus, vix ac ne
 vix quidem cicatricem ducere inci-
 piens, hic iterum reficere. Ego po-
 tius DEUM Ter Opt. Ter Maximum
 cali-

calidissimis rogo precibus, ut animi
 robur in Te augeat, moestitiæ inspe-
 ratae nubeculas quantocyus dispellat,
 ac Te in feros Nestoris annos quàm
 diutissimè incolumem sospitemque
 præstet. Vale.

EPISTOLA CONSOLATO-
 RIA III.

Quâ Patrem, Filiaë suæ
 mortem lugentem, consola-
 mur.

QUOD Filiam dulcissimam, repen-
 tina morte Tibi surreptam nunc
 doleas, illum acerbissimum tristissimi
 temporis Tui statum justissimis me-
 ritò prosequor lachrymis. Tu enim
 amabile illud pignus, quod per exi-
 guum temporis spatium comòdato
 Tibi tantùm concessum noveras, in-
 ter tot amaros fletus iterum amisisti.
 Neque enim est, quod rerum ordi-
 nem permutatum fuisse conqueraris,
 & in calamitatem Tuam DEUM quasi
 conjurâsse existimes. Tibi potius ceu
 Christiano incumbit, ut exurgas è
 luctu,

luctu, atque virili vereque generoso animo ponderes, quantæ sollicitudinis exemptus. Multis namque partibus cum Filiâ Tuâ morigerâ melius factum fuisse noveris, quàm si tot illecebris mundanis expositam eandem adhuc cerneres. Certè quæ inter tot castas virgines hoc tempore triumphat, ac gloriosum hymnũ sine fine cantat, illa ne quidem obiisse potest videri. Novi equidem, quod tristitiæ vehementia amoris magnitudini semper respondeat, & si quis sit, qui Tibi tanquam Genitori optimo contrarium persuadeat, is nihil aliud fecerit, quàm si ignem calidum, glaciem frigidam probare gestiât. Tu tamen pro notissimâ pietatis Tuæ gloriâ meliùs facies, si manu medica admissa paganorum virtutem fueris transgressus. Hanc verò non meliùs exercebis, quàm si altissimum pectoris Tui vulnus ratione sana curaveris. Intereà dum in tantâ amissæ Filiæ jaetura nihil aliud habeo, quod moerori Tuo sistere possim, quàm litteras hæc doloris luctusque mei testes
fin

finceros; en boni easdem consule, nec aliud quid de me Tibi persuade, quàm quod perseverantem Divini Numinis Nominisq; gratiam in muniendo pectore Tuo quotidianis precibus semper sim sollicitaturus. Quo in voto desino, & Te optimo consolationis efficacissimæ auctori quàm ardentissimè comendo.

EPISTOLA CONSOLATORIA IV.

Quâ Præceptoris optimi excessam insperatum, acri dolore incensi, prosequimur lacrumis amaris.

Satis sanguinis irato cœlo datum putavimus, sublatis exiguo temporis intervallo tot egregiis Nominibus. Qui enim litterario cœlo fulciendo natus erat Atlas maximus, is nunc depositâ vigilantissimarum curarum sarcinâ, felicitate illa fruitur, quam quæsit ac meruit tandem æternam. Erat optimus Vir omnibus, in litterario curriculo ac stadio felicissimo augurio

gurio currentibus, instar bibliothecæ vivæ, in quâ discentes invenire poterant omnium doctrinarum virtutumque opes pretiosissimas. Ast nunc clausam eandem Musæ litterariæ proh dolor! cernunt. Meritò itaque ingemiscamus, & lachrymas factâ per oculos viâ, mittamus largissimas. Verùm quum beatus noster Præceptor eum nunc teneat portum, in quo paratam sibi scit pro laboribus imensis coronam auream; nolumus ei felicitatem, maximis meritis partam, invidere, sed potiùs in eo erimus, ut ad politum candidissimi pectoris speculum nostras componamus actiones. Nullum melius verò templum in corde nostro exstruxerimus, quàm si profundissimæ tanti Viri doctrinæ nulla temporis intercapedine vivamus imemores. Hæc ratione desiderium nostrum ergà Præceptorem benè meritum demonstrabimus flagrantissimum. Vale.



EPI.

EPISTOLA CONSOLATO-
RIA V.Qua consolamur aliquē
calumniis petiturum.

QUod acutè occulteque tot no-
xiis calumniatorum telis hoc
ipso tempore defigaris, illā Tuam vi-
cem pro eo ac debeo, doleo ægreque
fero. Quanquam non ad eò impoten-
tem Te rear, quasi inanibus horum
machinis ac cuniculis de statu meli-
oris mentis Te dejectum, germanam-
que innocentia dexteritatisque Tuæ
laudem prorsus amisisse judicem;
non potui tamen pro amicitia nostræ
lege hac vice aliter, quin Te ad rectè
factorum conscientiam simul accen-
derem. Hæc ipsa namque lividos illos
criminatorum Tuorum dentes, quos
in omnes bonos strictos paratosque
habent, elidere ac subvertere pote-
ris quàm citissimè. Tu modò vide,
ut innocentia, tanquam vitæ incul-
pata pararia, Te munias. Hæc ratio-
ne omnes illos, qui non judicio, sed
impetu ac protervia lædunt, pro ca-
nibus

nibus furiosis agnosces. Ut enim Sol vi suâ alia indurat, alia liquefacit: Sic præstans Virtus, velut ex alto inter mortales refulgens, in aliorum animis admirationem & amorem incredibîlem excitat, alios contrâ odio honesti inflâmâtos, in furorem agit; & dum oculos à laudatissimis quibusque conatibus deflectere nequeunt, miseri intabescunt, & mercedem pœnæ promeritæ luere coguntur justissimam ac gravissimam. Sed ne Te tot negotiorum fluctibus imersum diutiùs detineã, finio, Teq; simul moneo, ut pugnam hanc, quam nunc decertas, pro innatâ Virtutis Tuæ gloriâ alacriter depugnes, neque comittas, ut succubuisse videaris. Non succumbes verò, si Deo vias Tuas permiseris, & industriæ debitæ stricturis argumentisque eximiis Tuam demonstraveris innocentiam.

Vale.



EPI.

EPISTOLA CONSOLATO-
RIA VI.

Quà consolamur aliquem
in exilium missum.

QUàm pulchrum coram facie Dei
hoc ipso tempore exhibeas spe-
ctaculum, postquam Te in tristissi-
mum exilium vides missum, vix cre-
dideris. Neque enim uni angulo Te
natum reris, quippe quum patria no-
stra ex Romani illius Philosophi as-
fero totus hic sit mundus. Sed vide
ne Christum deseras, aliàs Te ille.
Certè qui Christum coram homine
profitebitur, illum & ipse coram
Patre suo cœlesti. Hujus itaque di-
cti & Tu memor, Martis carnificis-
que supplicia ac tormenta irrideas ve-
lim, neque putes majus onus bonum
illum Dominum humeris Tuis impo-
siturum, quàm ferre potes. Tu mo-
dò æquissimo animo perfer infortu-
nium hocce, nec alii ulli, quàm Deo
Tuo confide. Sic aliquando Te mi-
serrimè pressum, erectum iterum vi-
debis. Sed nolo lachrymas ab oculis
Tuis

Tuis abstergere, cum Christum ærumnas Tuas coronantem jam tum videam. Finio itaque, & Te tutissimæ derelictorum arcis, utpote contra quam ne ipsæ quidem inferorum portæ aliquid valent, sincerè comendo. Vale.

EPISTOLA CONSOLATORIA VII.

Quà erigimus aliquem, ut calamitates publicas fortiter ferat.

Silentio huc usque indulsumus plus quàm Pythagorico, quod tamen in tempore abolitum, tot ærumnarum ac molestiarum lenimentum nobis debuisset esse efficacissimum. Sed scias velim calamitates illas, quibus quotidie exercemur, hortamentum nobis ad virtutes eximias existere clarissimum. Neminem enim alatratum unquam videas, nisi magnum, Deoque vicinum. Quò nomine auctor Tibi sum fidelissimus, ut omnem præsentium malorum injuriã

Q. fidu-

fiduciã futurorum bonorum generosè
contemnas. Tu equidem me tacente
probè nosti, quod nulla victoria sit
speranda, nisi priùs alacris præcesserit
pugna. Ut verò palmam in medio po-
sitam cum coronâ aureâ & Tu eò ci-
tiùs obtineas, digladiandum Tibi cum
mundo imundo antea erit fortiter.
Quod superest, ex animo Tibi, ò A-
micorum optime, precor, ut omnem
fati vim lætissimo animo excipias,
imò constantissimo patientiæ exem-
plo, quæcunque etiam Tibi, obtige-
rint aduersa, animosè feras. Vale.

EPISTOLA CONSOLATO-
RIA IIX.

Quã consolamur aliquẽ
ob bonorum omnium amif-
sionem direptionemq;.

QUòd paupertate inimicâ pressus
cum æris inope hoc tempore ob-
ambules Iro, illam Tuam vicem, sic-
ut par est ac decet, ex animo doleo.
Optarem equidẽ, ut in meliore statu
Te constitutum videres. Ast quum
angu-

augustus nobis trames ad cœli januã
 fit propositus, nec aliquis, nisi nudus
 expeditusque fuerit, ad semitam hanc
 pervenire possit. Idcirco auctor hor-
 tatorque Tibi sum fidelissimus, ut,
 dum nudum Te à matre Tua genitũ,
 nudumque ab Ecclesia susceptum no-
 sti, divite apparatu in cœlum ire recu-
 ses. Confide modò Deo Tuo, ille
 nunquam hominem ita prostravit, ut
 faventius eundem non extulerit:

*Tu flecte mentem, pectus anti-
 quum advoca,*

*Victasq; magno pectore erumnas
 doma.*

*Resiste: tantis in malis vinci ma-
 lum est.*

EPISTOLA CONSOLATO-
 RIA IX.

Quà erigimus hominem,
 rebus adversis concussum ac
 fermè depressum.

Quod propositò Tuò laudatissi-
 mō nuper excideris, nec reli-

Q 2

quis

quæ res ex animi sententia Tibi decurrant, ægerrimis hesternæ luce percepi oculis. Ast scias, frustra nos dolere ea, quæ mutari omninò non possunt. Ne itaque & Tu de salute recuperanda prorsus desperes; in expansam vide manum meam medicam. Hanc ut admittas, pro amicitia nostræ sacris benevolè abs Te contendo. Nosti enim quod Gentiles generosam animi constantiam tot iminentibus malis opposuerint. Certè si Ethnici non erubuerunt in adversis rebus clara voce cum Diogene Cynico cantillare: Quid nos Christiani non faciemus, utpote qui à Christo tanquam Duce nostro nomen habemus? Fortiter proinde ac patienter feramus illa mala, quæ nullo alio medio, nisi precibus nostris avertere valemus. Sic fiet ut in omnibus actionibus præsentissimum divini Numinis auxilium ex voto imposterum nobis polliceri queamus. Vale.



Re-

Responsorix ad Consolatorias.

Maximam luctus mei partem abstulisti, Amicorum amicissime, postquam benevolentiam Tuam, utpote quam in abdito pectoris mei scrinio sincerè altam hæctenus recorder, vivo demonstrasti exemplo. Quum enim ex calamitatum variarum laqueis, quibus irretitus vivebam, expedire me non poteram, Tu certè dulcissimo solatio me iterum erexisti, ac in regiam vereque cœlestem viam præ mœrore confectam amici Tui mentem deduxisti. Pro quocordatissimo officio gratias Tibi ago maximas. Optarem equidem ut majoribus documentis fidem meam Tibi oppignorare sufficerem. Ast quum officiosissimam tantum gratissimæ mentis formulam mihi relictam nōrim, boni sine dubio consules ingenuæ confessionis testificationem. Interea ex animo mihi gratulor, quod frigidam mihi affundere, inque sumo luctu auxiliatrices Tuas manus Tise-

Q 3

rix

riæ meæ porrigere volueris. Ostendat modò Deus occasionem feliciorẽ, quã officiis meis nunquã non promptis paratisque Tibi rursus prodesse sufficiam. Sic neminem alacriorẽ ipso factò atque opere deprehendes, quàm eximii Nominis Tui cultorem deprædicatoremque religiosissimum. Vale.

Alia ejusdem argumenti
Epistola.

Quã Exul ad prius positam
Consolatoriam V I.
respondet.

Quanquam eximiam Tuam benevolentiam altissimis pectoris mei fibris inscriptam sæpissimè animadvertere potuerim : tam egregiè tamen eandẽ in nuperrimis Tuis expressam videre mihi licuit, ut ipsam Divam in contuberniò suo felicissimè operantẽ adspicere ac ex voto quasi exosculari non prohibitus fuerim. Hoc enim argumento reapse demonstrabas, Te jocantis fortunæ lusum pulcherrimè contemnere, utpote quena nemo non

con-

contra tot calamitatū tempestatumq;
procellas minasq; vidit promptū para-
tumque. Non leviter proinde mihi
gratulabar, dum eum Te in extremō
periculō erga me experiebar, quem
semper cognitum habebam, nempe a-
micum mihi exploratissimū. Quō no-
mine non possum, quin cum doctissi-
mo illo Sulmonis alumnō exclamem!

*O mihi chare quidem semper, sed
tempore duro
Cognite, res postquam procu-
buere mea.*

Tu namque qualis erga me sis, pro-
priā Tuā testaris manu. Utinam mo-
dò spes illa, quam mihi facis, mox
affulgeat, ut pulsas atris hisce nubi-
bus sereniorē solem adspicere ite-
rum sufficiam. Ast ex tristissimā tot
deplorandarū rerum facie nihil aliud
proh dolor! conjicio, quā interitum
omnimodum. Olim quidem pietatem
cernebam florentem, hodiè verò
eandem deletam iterum intuemur,
imò salutare leges sepultas, charita-
tem denique Christianam prorsus ex-

tingentiam suffocatamque deploramus. Quis nisi extremè impius tot bonorum strages, totque urbium potentissimarum quondam cadavera latis adspicies oculis! Me certè quod attinet, doleo quidem exilium meum, non tamen despero de certissimo Dei auxilio. Fiat ergò, quod Deus decrevit, ardeat patria ipsa, fractusque illabatur orbis: Ego profectò Christo meo religiosè militabo, ac constantiam in semel agnitâ veritate sincerè semper amabo.

CAPUT XIV.

De

EPISTOLIS OBJURGATORIIS SEU REPREENSORIIS.

Objurgatorias vocamus Epistolas, quibus à crimine jam perpetratò „seducimus, & in viam rectam reducimus errantes. Dantur illæ variæ: Interdum enim sunt vel mitiores, vel acerbiores. In mitioribus

oribus amoris munerisque nostri rationem addimus, ut omnia ex commodo illius, quem objurgamus, egisse videamur. In acerbioribus totam bilem effundimus. Primò enim crimen ipsum proponimus, quod exaggeramus partim à rei ipsius indignitate, partim à qualitate personæ, quæ illud admisisse cernitur: Secundò sequuntur minæ: Tertiò non negligenda ac insuper habenda venit dehortatio serua ac seuera, ut nimirum delinquens ad meliorem frugem se recipiat. Intereâ factum illud, à quo retrahere cogitamus errantem, notorium esse debet, & si est manifestum ac notorium, tunc cogitare debemus, quomodo ostensâ rei indignitate, in veram virtutis semitam reducere iterum valeamus errantem. Hoc verò nulla meliore ratione fecerimus, quàm si profiteamur, nos illud ex amicorũ litteris cognovisse. II. Ex querela Parentum; quin imò III. ex fama publica: Ut enim sine ictu non cadunt arbores: Ita etiam sine turpissimo aliquo facto rarò falsi

Qs

spat-

sparguntur rumores. Amicis itaque scribamus amicè, & oleo laudis miscemus amoreq; temperemus objurgatorias nostras. Malè enim faciunt illi, qui ad scomata statim inaudita priùs causa profiliunt, & cum ædificare debuissent, diruunt omnia. Vitium potiùs, si id notorium deprehendimus, resecemus, hominem verò iterum sanemus. Optimi equidem Viri est, odisse malâ: Ast malè cuiquam velle, illud neque optimi, neque prudentis, neque boni est. Taceo hac vice, quod apud ingenia liberaliora nihil proficiamus, si eadem ob erratum sæpè levissimum statim ad triremes damnare satagamus. Hæc enim duci non trahi volunt; persuaderi, non coërceri. Sed ut honesta pectora ita compefcamus, ut cautiùs imposterum ex Flacci monito, mercari discant; en campum nonnullarum formularum aperiemus. Hoc pacto innotescet, quomodo Sathanæ pulvinari suavissimè indormientes, iterum ex veterno ad veram virtutis lucem ducere

cere valeamus. Prodeat itaque in arenam Adolefcens, ob vitam luxuriosam fufpectus, qui ex ea ratione fumoperè culpandus, quod cœco fubdoli amoris luxusq; ftimulo correptus profligatiæ vitæ personam amare non erubuerit admodum lascivam ac perfidam.

EPISTOLA OBJURGATORIA I.

Quâ Tutor reprehendit Juvenem, quod relictis melioribus litteris in amore infanò profligatæ cujusdam personæ contra conscientiam hæreat.

ITâne Academiam nuper es ingressus, ut numos illos magno labore à B. parente Tuo quæsitos, in cellâ vinariâ sepelires, feriatosq; dies ageres, & Te Tuosq; perditum ires? Eheu! quantâ de spe decidi, postquam audivi, Te verecundiâ omnî sepositâ, nomina illa in X. utpote quæ non rarò bonæ mentis impedimenta solent esse maxima, sine rati-

Q6.

one

one ulla amare! Musarum equidem militem Te futurum, certissimè mihi persuaseram. Ast nunc amoris lascivo irretitum Te, cum dolore luctuque experior maximo. Meminisse sanè debebas, Te non Veneris protervæ, sed Minervæ innubæ gratià in Academiam esse missum. Olim quidem mores Tui ab omnibus probabantur, sed hodiè detestantur iidem à verè prudentibus Viris, dum non sine ægrimoniâ vident, quod delitescentè amoris impurissimi ignem tanquam suave aliquod malum in sinu Tuo nutrias, parumque cures, quomodo sordidum istud jugum à cervicibus Tuis iterum dejicias. Te certè eò locò non habeo, quasi persuasus sim, severâ rectaque disciplina compesci non posse furorem illum Tuum inconsultum, quo tanquam demens homo correptus in nullo angulo es liber. Hoc enim si esset, non melior esses inverecundis illis prostibulis, quæ ubi furere incipiunt, solâ morte assequi possunt lasciviæ suæ terminum pestiferum. Meliorem potius

potiùs sententiam de Te fovebo, utpote quem Circaâ virgulâ non adeò graviter vulneratum tactumque auguror, ut non optem mentem saniores. Sed nolo plura de tam inhonesto vitæ genere Tibi ogganire; nec enim plura præ doloris magnitudine hac vice possum. Finio itaque, & ut subdolæ infamisque illius meretricis jugo Te quantocyus iterum subtrahas, ex animo opto. Vale.

EPISTOLA REPREHENSORIA II.

Quâ Tutor castigat Adoleſcentem diſſolutum.

QUum culpæ impunitas ac liberior peccandi licentia poenæ vitia ut plurimum augere soleant: Non constitui in delictis Tuis imposterum connivere. Si bonus eris, amabo Te unicè, nullique rei magis studebo, quàm utilitati Tuæ. Sin verò posthabitâ virtute degeneraveris à Parentibus Tuis optimis, augebo poenas facinorum. Hactenus quidem

Q 7

ex-

expectationem meam, quam de Te conceperam, fefellisti. Vide itaque, ut noxæ Te iterum eximas. Laudabilis quondam Gymnosophistarum erat consuetudo, apud quos pigris illis inutilibusque hominibus, qui nihil quotidianæ frugis afferebant, cibus denegabatur. Ne itaque & Tu pecunia necessaria destituaris, da Operam quæso, ut optimarum artium cultui Te impofterum devoveas totum. Quo in voto desino, & ut dignus reperiaris, qui vivas, & quem ament omnes boni, ex animo Tibi apprecor. Vale.

Alia ejusdem commatis
Epistola objurgatoria, & quidem III.

Semper de Te benè merui, sperans, Te aliquando fore frugi hominem: At spem omnem futuræ in Te probitatis ademptam mihi hoc ipso cerno tempore. Nam ut audio bonam juventutis Tuæ partem stolidè contrivisti, & parentum optimorum relicta bona in alea ac fritillis dilapidasti,

daſti. Certè ſi tot me non circumſta-
rent negotia, in tempore ad Te iviſ-
ſem: Idque primâ datâ occaſione ſum
facturus, ſi modò per occupationes
non diſtinebor. Vide itaque ut reſipi-
ſcas, nec negligentia Tua Epidemidis
ſomnum indormias. Quod ſi verò
impoſterum egeris ut voles: Ego Te
prorſus miſſum faciã: Sciveris tamen
rebus Tuis peſſimè conſultum iri, ni-
ſi vitam in meliùs comutaveris. Vale
& benè monenti obtempera.

Epiftola Reprehenſoria ſeu Objurgatoria I V.

Quà caſtigamus Juvenem ob vitam luxurioſam.

HEu, quàm ſiniſtra fama de mu-
tatione morum Tuorum apud
nos percrebuit! Olim enim quum di-
ſcederes, pollicebaris nobis merce-
dem ampliffimam. Aſt nunc ne car-
bones quidem pro montibus aureis fi-
ſtere potes. Certè Parentes Tui ſunt
pau-

pauperrimi, non habentes unde restim emant. Tu verò nullam penitus rationem habes tam pretiosi temporis. Pudeat itaque Te, quod Tua unus industria Tibi ipsi non fabrices fortunam meliorem. Egregia profectò & sumòperè probanda est Amasis, Ægypti Regis sanctio, qui edicto iussit, ut singuli quotannis apud cuiusque Præfecturæ Præsidentem ratiocinerentur, unde viverent. Eisque mors inferretur, qui mandatum hoc saluberrimum non exlequerentur. Quod utinam nostro quoque seculo observaretur, tunc tot ignavi pigriq; ventres non reperirentur, utpote quibus nullum aliud relictum est negotium, quàm quod prona tantùm ventrique obedientia sequantur pecora. Sed nolo de emendatione Tua desperare. Potiùs confido certusque sum, Te temperantiam eò citiùs amplexurum, quò majora ex hujus Divæ gazis certissimis ad Te reditura quondam expectas comoda. Interea vale, & si sapis, fac, ut stultitiæ Tuæ Te nunquam poeniteat.

EPI

EPISTOLA OBJURGATORIA V.

Quâ Pater optimus objurgat Filium suum immorigerum, ut tandem surgat ab otio, nec ceu mortuum cadaver vivat in Academia.

Quemadmodum nemo unquam Ver sine violis, æstatem sine granis, Autumnum sine pomis, ac Hyemem sine nivibus pruinisque vidit: Ita impium erat, Te rationis competentem hominem, solem sine frugibus consenescentem ulterius adspicere. Certè si ulla filialis observantiæ debitæque industriæ linea in Te resideret, non ita Te ab abjectissima vulgi prostibula prosterneret, & cerdonum instar per plateas noctu discurreret. Nôsti enim, quod Academia non ideò sint ordinatæ, ut in iis turpissimo indulgeas luxui; sed ut bruta, ratione, animâ, dignitate, formâ, nobilitateque superes ac reapse vincas. Tu verò pro deperdito Tuo genio non erubescis luxu, otio, lasci-

lascivia, prodigalitate, & nescio quibus aliis vitiis, mentis Tuæ vigorem infringere; cum tamen incolumitati ac salutis Tuæ melius consuleres, si Plinianum illum Apellem, qui nullum diem sine lineâ optabat, imitaberis. Hoc namq; pacto proderes Tuum proficiendi conatum, nec spem meam, quam olim de Te conceperam, tam oscitanter frustrareris. Te equidem minimè latet, quod nullis hætenus sumtibus pepercerim, quò studiis modò Tuis paternè succurrerem: Ast Tu missò Musis Tuis nunciò, occludis non solum aures ad mea, sed etiam optimorum quorumcunq; monita fidelissima, nec in juvenili hocce Vere Tibi seris, multò minùs metis. Sed nolo faucium meum cor Tibi imòrigo hætenus Filio ulteris explicare. Quod si non cessaveris dissoluta Tua vita justissimam Parentis Tui iram imposterum provocare, tunc eundem non alium Tibi proponere debes, quàm infensissimū impiorum facinorum Tuorum hostem. Vale.

Respo-

Responsoria Filii ad ex-
probratoriam seu objurgato-
riam Parentis.

EX animo doleo, Honoratissime
Dn. Parens, quod tam malè apud
Te audiam. Fingis Tibi quidem mor-
bum, qui tamen nullus in me haecte-
nus fuit. Ast saluberrimum das con-
siliium, quò ipsò etiam efficis, ut si
qui imposterum futuri sint, qui me à
verâ virtutis semitâ abducere gesti-
ant, aditum iis paternis Tuis monitis
intercludas. Nec enim omnia, quæ
dicuntur scribunturque statim pro
oraculo Delphico sunt habenda. Ho-
diè namque multa sub veritatis specie
venditantur, quæ tamen si rectè ex-
aminentur, ex meris mendaciis con-
futa evanescent. Non nego equidem
quod fama multa añunciet vera, licet
etiam non diffitear, quod multa va-
nissima figmenta malè natis rumu-
sculis addi interspergique hodiè sole-
ant. Intereà gratum mihi fuit pater-
num Tuum in reprehensa vitâ meâ
officium, sed longe gratius accepti-
usq;.

usq; , quod me sine causâ accusatum
deprehenderis. Quod si forsan de
innocentia meâ dubitaveris, faciam
imposterum, ut non irrita de mori-
bus studiisque meis sustulisse videaris
signa. Sed, ne vanus in promitten-
do reperiar, ipsis potiùs rerum argu-
mentis filialem meam demonstrabo
observantiam. Tu modò, veneran-
de Genitor, vide, ne ego ad justitiæ
tribunal delatus, inauditâ causâ ite-
rum dimittar, & à sinistris suspicioni-
bus opprimar. Quò in votò nunc
desino, & Te divino Numini, me ve-
rò paterno favori Tuo comendatum,
ex animo salvere atque valere opto.
Vale.

CAPUT. XV.

De

EPISTOLIS DEPRE- CATORUM.

DEprecatórias vocamus, quæ of-
fensionis deprecationem profe-
runt. Has quomodo adornare de-
bea-

beamus, ex schematismo præsentis e-
lucescet. Scimus enim non solum ex
Sacro Codice, sed etiam ex pagano-
rum sanctionibus, quod reconcilia-
tio cum parentibus adversariisq; no-
stris non sit procrastinanda. Ne ita-
que & nos à testimoniis saniorum
Ethnicorum, implacabilitatem seve-
rè improbantium, temerè receda-
mus, circumspectiores posthac in
deprecandis erratis nostris procede-
mus. Faxit modò DEUS ut Paren-
tum Patronorumque nostrorum ca-
stigationes promeritas debita semper
amplectamur observantia, nec ficta
aliqua humilitate delictorum nostro-
rum veniam petamus. Sic fiet, ut
tenebris missis veram lucem iterum
simus amplexuri. Qua fiducia pleni,
sistimus nunc Patronorum Paren-
tumq; tribunali Juvenem, nihil aliud
tam anxie quærentem atque promit-
tentem quàm infucatam vitæ suæ
emendationem.



EPI.

EPISTOLA DEPRECATO-
RIA I.

Quà Filius hæctenus im-
morigerus veram Parenti suo
pollicetur emendationem.

Maximo mœrore affectum me
putes, Venerabilis Dn. Parens,
acceptis perlectisque litteris Tuis.
Tristissimū enim vulnus menti meæ
inflictum videbam, postquam pater-
nos amoris Tui igniculos prorsus de-
letos erga me deprehendebam. Sed
provoco ad facilitatem Tuam, in quâ
cum certam veniæ spem mihi polli-
cear, non dubitabo, quin immorige-
rum hæctenus Filium Tuum, utpote
in quô confitentem reum jam habes,
eâ mente iterum in pristinam grati-
am sis recepturus, quâ delicta sua co-
ram facie Tua confitetur. Ad man-
suetudinem Tuam itaque confugi-
ens, observantissimè rogo, ut omnia
illa, quæ à me perpetrata hæctenus
nosti, pro notissima humanitatis Tuæ
gloria Filio Tuo condonare, nec im-
peris

perium illud, quod aliàs Parentibus in liberos competit severum, rigidissimo jure exercere velis. Ego fanè seria pœnitentia efficiam, ut novis ob- jurgatoriis indignis non videaris, sed potius in eo ero totus, ut prava confortia, tanquam Diabolum ipsum cane pejus & angue defugisse existi- mer. Quo in voto finio, & emenda- tionis meæ testem, præsentissimum huncce Discursum Academicum favori Tuo observantissimè sisto. Ample- ctere hunc (si aliàs meretur) verè pa- terno affectu: Ego contrà non ces- sabo amorem Tuum aliis, & quidem novis pietatis observantiæque debi- tæ argumentis ac documentis iterum submissè demereri. Ita sanctissimè promitto, & Te valere mihi que favere exopto.



EPI-

EPISTOLA DEPRÉCATORIA II.

ad Patronum,

Quâ quis se purgat ab innocentatis criminibus.

CUM superiores litterarum Tuarû lineas legissem, Patrone Maxime, fluctuabam profectò, utrû eadem pro Tuis agnoscere deberem. Adeò nihil finistri suspicabar de actionibus meis, utpote quas sub vitæ inculpatæ scuto ac clypeo ab aliorum morsibus liberas putabam. Quamquam nemo tam timidus est offensarum, qui non in illas dum vitat, incidat: Ita facillimum mihi pollicebor ad contubernium Tuum accessum, si modò passus fueris, Patrone Maxime, ut Tibi exponam, quomodo res omnis sese habeat. Nosti enim hujus loci conditionem, nec adeo obscurum Tibi esse potest, quàm proni in calumnias heic loci vivât homines nocentissimi. Detestantur quidem Academiam hanc ut stabulum nequitia,

tiæ, variorumq; scelerum nutricem ac magistram corruptissimam. Ast si verum fateri liceat, non sanctissima tanti nominis officina in culpa est, quod tam tristes dissolutæ vitæ Tragediæ interdum peragantur, sed sine rationis freno degentes in eâ homines apertos veluti carceres, liberumq; campum optimos quosq; à verè regia pietatis virtutumque semita abducendi deperditis quibusdam ingeniis aperiunt. Cui malo sopiendo si prudens Magistratus manum interdum medicam in tempore admoveret, tunc tot Parentum Fautorumq; optimorum querelæ non audirentur. Sed cum nonnullæ Academiæ hâc labe interdum sint adpersæ, ut ea puniant, quæ aliàs non erant punienda, in notoriis contra delictis nonnunquam conniveant: Hinc etiam fit, ut non planè eluere ac effugere queant calumniæ, tanquam malæ hiantisq; Divæ morsus pestilentissimos. Sed nolo hâc vice germanam tot pessimorum facinorû formam clariùs expressiusq; uberiore stylo signare. Ad

R

inno-

innocentiam potiùs meam suffecisse mihi putabo, si eâdem ad recuperandum favorem Tuum pristinum rite recteq; defungi possim. Interea vale, & quem amore quondam Tuo non indignum judicabas, eundem quoq; ex generoso innatæ prudentiæ Tuæ zelo de novo iterum complecti non desiste. Iterum vale, mihi que sicut omninò confido, in posterum fave.

EPISTOLA DEPRECATO-
RIA III.

Quâ silentium apud Amicum excusamus.

ET si amicitia nostræ, tot egregiis argumentis hætenùs firmatæ, nihil adimi posse credideram; eam tamen ex eâ ratione non nihil imminutam deploro, quod responsum ad proximas Tuas distulisse me conqueraris. Sed noli quæso tam sinistram de me alere sententiam. Te enim unum cogito, Te unum inter legendum scribendumq; desidero. Rejice itaque causam imminutæ voluntatis in
impru-

imprudentiam, non verò in voluntatem meam, utpote quæ in ratione mei erga Te sinceri affectûs hanc ipsam facit paginam. Ego profectò imposterum me ita tractabo, ut memorem me semper experturus sis debitorem, cui auris hoc nomine non vellenda. Tu verò si animi ægritudinem sustuleris, & toto sinu me in amicitiam Tuam iterum admiseris, totum me in potestate Tua habebis, ipseque Tui causa præstiturus sum omnia, quæ à fidissimo amico proficisci poterunt charitatis officia ac simulachra exoptatissima. Vale.

CAPUT. XVI.

De

EPISTOLIS INVITATORIIS

Invitatoriae sunt, quibus defungimur in explendo gaudii nostri desiderio. *Primò* enim narrare solemus solennia. *Secundò* exponimus desiderium hilariter cum invitato con-

R 2

ver-

versandi. *Tertio* demonstramus affectum fiduciæ, nos non dubitare, quin invitatus petitioni nostræ locū relicturus sit æquissimum. *Quarto* extenuamus victum, benefaciendiq; facultatē. *Quinto* promittimus, nos operam duros, ut invitatus omnia benevolentia propensionisque signa atque indicia ipso facto atq; opere sit experturus. Quod itaq; bene vortat! in curis nostris gaudia interponemus, ut hoc pacto exhilarare queamus amicum, præ mœrore nimio confectum. Interea ut charissimum nobis hospitem non divertamus à festivitate nostrâ, sine ulteriori verborum ambitu precibus eundem sollicitamus, ut lares nostros invisere dignetur nuptiales. Nec enim voti nostri metam citius obtinebimus, quàm si in speculo quodam unum alterumve exhibeamus exemplar, ad quod actiones suas componere possit invitatus. In scenam proinde prodeat.

EPI:

EPISTOLA INVITATO-
RIA I.Quà Amicum invitamus
ad nuptias.

TAndem aliquando nuptiales tabulæ inter me & pudicissimam N. sunt signatæ. Ut autem omnia ad vota nostra felicissimè decurrant, in testimonium festivitatis publicæ provocandi sunt Amici optimi, iique exploratissimi. Quamobrem ut à negotiis, quibus quotidie districtus teneris, Te non nihil vindices, & divino Numini futuram nostram felicitatem comendes, eò, quo par est cultu, officiosissimè abs Te contendo. Tu equidem majorem feceris domum nostram dignatione Tuâ, si ad exemplum Thesei, qui quondam non aspernabatur Hecales hospitium, cum parvulo tugurio contentus vixeris. Redde itaque nobis amantissimum Tuum conspectum, certissimè persuasus, quod in omni vitâ nullam rem tanto præconio comitaturi simus, quàm si Te præsentem modò exoscu-

R 3

lari

lari non prohibeamur. Vale, & nisi reus fieri gaudes amicitiae violatae, veni.

Alia ejusdem argumenti Epistola Invitatoris.

QUOD os meum post tot susceptas consultationes capistro maritali tandem porrexerim, ex nuperrimis meis sine dubio colligere potuisti literis. Ast quum nihil aliud hoc ipso tempore supersit, quam si modò optimorum Amicorum praesentiam festivitatem nuptialem cum Sponsa meam obsignem. Idcirco Te, utpote quem ob perfectam comitatem nunquam satis aestimare potui, observantissime rogo, ut sepositis ad tempus procurationibus Tuis, abjicis moram omnem, nec Te subducas solennibus nostris tædis. Nos certè maximi beneficii loco agnoscemus hunc ipsum nobis immerentibus exhibitum honorem eximium, nec cessabimus tanti affectus testificationem gratam memoriam semper celebrare. Faxit Deus,
ut

ut concors videamus matrimonium
& talento Attico gratius auferamus
gaudium nocturnum, nec nisi fera
mors nostra dividat pectora. Vale,
& si me amas, veni. Iterum vale,

Alia ejusdem commatis Epistola Invitatoria.

HActenus spatiosis Minervæ can-
cellis inclusum me vidi: nunc tæ-
das conjugales paro. Nihil enim vi-
rile in pectore meo haberem, nisi fi-
lium nomine meo dignum relinque-
re. Certè qui conjugium damnat,
is æternum tam sancti vinculi aucto-
rem contemnat necesse est, nec so-
lùm in civium, sed & naturæ legem
impius ac ingratus sit oportet. Scili-
cet natura hominem fecit socium ani-
mal. Jam verò Civitas absque Civi-
um propagatione consistere nequit.
Rectè itaque fecisse putabor, quod
mihi elegerim castissimam virtutum
exploratissimarum imaginem. Ast
quum sine propinquorum optimo-
rumq; Amicorum præsentia nuptias
cele-

R 4

celebrare cum Sponfa mea nequeam. Idcirco Te pro arctissimo sanguinis nostri foedere rogo, ut altero post Idus Junias die compareas omni remota excusatione. Veni ergo, & quod constantissime cupio ac spero, exsequere citissime desiderium meum. Non contuleris sane beneficium in imemorem: Nec ego ullam rem adeo propositam mihi putabo, quam si singulis modo horis momentisque latissima de bene merendi voluntate mea tollas signa, Vale, & Clarissimum Dn. N. nomine meo peramanter amplectere.

Responsorialia amici ad Invictoriam Sponsi.

MUltis nominibus jucundissimae mihi fuerunt litterae Tuae; eo acceptiores vero, quod de mutata sententia Tua certissimum dederint exhibuerintque indicium. Olim enim coelibes sepulturae honore privabantur apud Corinthios. Tu contra ab Argivorum, Laconum, Atheniensiumque

umq; institutis abhorrens, legibus di-
vinis pares, & præ continentia imūn-
dā matrimoniū verum legitimumque
amplecteris. Faxit DEUS, ut aurea
lux blandis auspiciis Vobis surgat, ni-
hilque in gaudia Vestra pugnet:

*Sit Tua Sponsa Tibi, voveo, pie-
tate Rebecca,*

*Casto animo referat Susannam,
mente sagaci*

*Abigaël, præstet Martham quoad
œconomiam.*

*Obsequio Saram, sit pragnans pro-
leq; Lea. (supremus*

*Hæc est summæ mei voti: Deus ipse
Efficiat, votum hoc succedat siede-
re fausto:*

*Ipse manus Vestras concordet,
vincula Vestra*

*Ipse liget, cumuletq; suo sua dona
favore.*

Quod verò me in hospitium Tuum
amantissimè invitas, scias velim, va-
letudinem infirmam impedire, quò
minus comparere possim. Cupidissi-

mè aliàs advolâſſem, niſi infirmi corporis tortores me tam ſtrenuè cinxiffent. Interea ut etiam de inmutato meo erga Te affectu ſis certus; en muſculum hoc, quod hiſce meis litteris adjeci, boni confule, & formoſam Tuam Sponſam meo nomine amplectere. Vale, & fac, ut re ipſa experiaris, conjugium non onus, ſed onerum potiùs omnium lenimentum fuiſſe dulciſſimum. Iterum vale.

CAPUT XVII.

De

EPISTOLIS VALEDICTORIIS.

Anuptiis redeuntes, itineri nos iterum commitemus. Faxit Deus, ut tam Neonymphis, quàm profecturis omnia cedant ex animi voto. Solemus aliàs in Epistolis valedictoriis accepta beneficia I. deprædicare. II. Docere, quod infelices nos judicemus, quod Benefactorum noſtrorum præſentia frui impoſterum
non

non valeamus. III. Spondere acceptorum beneficiorum memoriam futuram immortalem. IV. Vovere quâ animi, quâ corpbris bona. Sed ut obfirmemus tandem Praxin nostram Epistolicam; en una alterave formula erga Benefactorem Præceptoremq; observantiam nostram declarabimus. Prodeat itaque in scenam.

EPISTOLA VALEDICTORIA I.

Quâ Benefactori discessum nostrum indicamus, eiq; simul quâ animi, quâ corporis bona vovemus.

QUum rationes meæ non aliter ferant, quàm ut Tibi Patrono Benefactorique meo maximo discessum meum, eâ, quâ par est submissione indicem: Non poteram tamen aliter, quin in sinu Tuo observantissimè deponerem, in quantam tristitiam me datum videam, quod ad spectu Tuo venerabili frui imposterum non liceat. Nimirum æri incisa venerari solemus magnorum Virorū

R 6

nomi-

nomine; quidni tristissimarum cogitationum imaginem nobiscum circumferamus, quando à tergo quasi relinquere cogimur Benefactores nostros honoratissimos. Benè itaque mihi, quod tantorum Virorum beneficiis huc usq; altus nutritusq; sim liberalissimè. Et quum Tu, Patrone Maximè, præ aliis in signi hacce laudis a dorea macladus venias, quod me immerentè in contubernium Tuum benignissimè susceperis, in quo felicitati salutique meæ inter innumera ornamenta alia hoc decernebatur præmium, quod ab ore Tuo devotè pendens, me semper doctiorem prædicare poteram: tamen eò amariùs mihi videtur, quod cum iterum relinquere cogar, à quo post DEUM habeo omnia. Utinam nunc aliquo saltim signo gratissimam meam mentè declarare Tibi sufficerem, tunc ipso facto atq; opere neminè meipso promtorem paratioremq; deprehenderes. Ast quum nullum aliud hac vice offerre possim pignus, memoriã tamen tot excellentissimorum benefici-

orum

orum, quibus me Tibi demeruisti, il-
libatam semper servabo, nunquam
commissurus, ut Amplissimi Nominis
Tui observantia in corde meo extin-
cta ac sepulta videatur, utpote quam
sempiternā sanctissima fide polliceor.
Deus millesima parte Tibi refundat
omne illud, ad quod imparem me vi-
deo; cui etiam incolumitatem Tuam
eò, quò par est humillimo mentis cul-
tu devotissimè comendo. Interea vale
Benefactor optime, nullaq; temporis
intercapedine ex animo meo delende,
& si mereor, semper amare perge eū,
in quò humanitas Tua huc usque ex-
ercita est optimè. Iterum vale.

EPISTOLA VALEDICTO-
RIA II.

Quā Præceptori aman-
tissimo discesum nostrū signifi-
camus, eiq; simul pro tot innumeris be-
neficiis gratias agimus ma-
ximas.

A Nimo deficio, Præceptor colen-
dissime, cum cogito, quàm bo-

R 7

nam

nam discendi occasionem nunc amittam. Tu enim nullam aliam nisi veræ pietatis semitam mihi monstrasti: Tu placidus indefessusque nunquam non erga me fuisti. Et quum memoria ex omnibus animi partibus res sit maximè delicata ac fragilis, Tu profectò pro innata dexteritatis Tuæ gloria ita eam inflammasti, ut situ squalidam nemo unquam sanctissimam illam sapientiæ matrem offendere potuerit. Pro quâ virtutis memorandæ exercitatione quidnam Tibi offerre obstringar, fermè non assequor. Adeò tot innumeris beneficiis me affectum video, ut, nisi ingratiſſima observantiſſimæ mentis formula acquiescere velis, de me prorsus sit actum. Intereà tamen amarum mihi contigit, quod alloquio & doctrina Tua in posterum mihi carendum video. Eheu! quàm infelix sum, dum sub alio sole ac cœlo mihi est vivendum, ubi eum amittere cogor, qui me paternè hæctenus diligebat, omnesq; doctrinæ opes tanquam alter Pericles munificentissimè mihi

para-

pandebat. Sed, quid faciam tot locorum intervallis à Te proh dolor! se-
 junctus. Interea tamen, eò optime
 Præceptor, reapse experieris, quod
 absentia ista animum meum non sit
 mutatura. Abstergat modò lacru-
 mas amaras, quibus Te absens prose-
 quor, ò Nestor seculi nostri litterati,
 Divinum Numen, ut aliquando re-
 dux factus, Te exosculari possim sua-
 vissimè. Ceterùm quum à Te remo-
 tus nunc vivam, favori Tuo sincerè
 me comendo, utpote qui nihil aliud
 tam anxie quæro, quàm ut modò be-
 nevolentia complectaris eum, qui
 officiis Tuis totum obstrictum de-
 vincumque se fatetur. Vale, & vi-
 ve memor Discipuli Tui observan-
 tissimi, utpote qui ex animo vo-
 vet, ut

*Tot fortunati sine morbo sint Tibi
 menses,*

*Tempore quot vernoparturit
 Hybla favos.*



EPI.

Epistola Valedictoria ad Amicum III.

IGnosces Amicorum optime, si dis-
cessum, quem nunc paro, per litte-
ras hasce Tibi indicare cogor. Nec
enim potestatis meæ negotium est,
sed eorum, quibus in me fortuna ar-
bitrium, & nondum matura ætas im-
perium concessit; ut relictâ paulis-
per patriâ meâ dulcissimâ per terras
alienas Ulyssis colligam vestigia. Du-
rum equidem est, à patria abire: du-
rius verò ab eo avelli, cujus conspe-
ctu alloquiisque frui nihil ferè in vita
fuit amabilius. Sed parendum est Ma-
joribus, qui Fatorum tabulas nobis
prælegunt. Intereâ eris mihi Ami-
cus præsens etiam in absentia, & cum
oculis Te non potero, animo tamen
circumferam, utpote in quo tot in-
numera eximiorum beneficiorum ar-
gumenta altiùs Te mihi impresserunt,
quàm ut tempore possis, aut remini-
scentis animi insidiis oblitterari. Alio
quidem sub sole ad tempus vixisse ob-
stringor, sed non alius erga Te ero.

Potius

Potius idem semper Tuusq; ero; hoc in votorum meorum meta laturus perpetuò, ut sicut salvos nunc tristesque separari contingit; ita postliminio incolumes, vegetos, & corpore animoque hilares convenisse eveniat.

Epistola Valedictoria ad Amicum IV.

Affectui meo sincero sine dubio adscribes, quod ante discessum Tuum Valedictoria hacce Te compellem. Ingens enim doloris materies solet esse, dimidio animæ suæ privari. Abis nunc à me inter amicos meos optimos exploratissimosque optime, & quomodo animum meum tristitiâ non vulneres? I tamen felix, siquidē hæc Majorum Tuorum voluntas, cui refragari velle, læsi Numinis foret piaculum. Erant Tecum fortuna, Virtus, humanitas ac comitas individuo passu. Erat amor noster Tecum igneus felicissimo cursu, & quò fuerit remotior, hoc etiã fiat auctior

auctior vehementiorque. Interea altissimè impressus eris menti meæ & vitam prius, quàm Tui memoriam amifero. Illud unicum coronidis locomemuisse Te cupio, ne committas, quò Amor noster silentio pereat. In eo potius omni animi contentione labores velim, ut pristinus noster affectus verissimò amicitiae intemeratae glutine firmatus, dulcissimis verbis absenteque colloquio, tanquam blandissimo interioris pectoris condimento, suavissimè, imò nulla interruptâ ferie constantissimè in posterum nutriatur.

Responsoria ad Vale- dictoriam.

INstantis itineris mei felicitatem quod gratularis, gratias quas mente concipere possum, ago habeoque maximas. Neque enim memoriam Tui unquam deponam. Certè sola mors tam arctè constrictum amoris nostri vinculum prius dissolvat, quàm nutantem me videbis in ser-
van-

vandis amicitiae nostrae infucatae promissis. Interea in moerore verfor maximo, quod nullum aliud doloris levamentum mihi relictum norim, quam suavissimam Tui recordationem. Adeo quotidie recrudescit vehemens ille dolor, quo animum meum vulnerasti postquam ultimum vale dixisti addictissimis Tibi Amicis optimis. Ast in spe tamen omnes versamur maxima, fore, ut rebus ex sententia rite confectis, mox iterum Te amplecti queamus. Quo in voto nunc desino Faxit Deus, ut formosissimus ille dies opinione citius illucescat, quo Te nobis ex voto redditum, vere gloriari sufficiamus. Vale. Deus Te servet, o animi nostri portio maxima. Iterum felicissime vale ac salve.



EPI.

EPILOGUS.

Accipe tandem, Amice ac Benevole Lector, Institutionem nostram, multis Epistolis, Dispositionibus, Formulis ac Speciebus divitem. Deprehendes in eâ præter præcepta utilissima, Epistolas *Votivas, Gratiatorias, Dedicatorias, Laudatorias, Officiosas, Commendatitias, Petitorias, Vocatorias, Hortatorias, Narratorias, Querulas, Consolatorias, Objurgatorias, Deprecatorias, Invitatorias, ac deniq; Valedictorias.* Nec enim probare poteramus imprudentiam illorum, qui variis palatis unum eundemq; semper apponere didicerunt cibum. Aliam namq; mutationem reservatam nobis putabamus in tractandis ingenis maximis. Certè, quemadmodum Epistole vario constant argumento: Ita etiam par erat, ut ad diversos diversi cum generis, tum

tum ordinis, tum ingenti homines respiceremus. Artis proinde ductu erat opus, ut finem nostrum obtineremus.

Quo misso ne scio quam turpiter hodie se dent ridiculi nonnulli, qui effusis veluti habenis multa sine delictu ullo effundunt, quum tamen maxima ingenia invitanda potius fuissent delicatissimis quibusque ferculis, utpote qua cibis promiscue appositis non omnino adsuescere didicerunt.

Scilicet in seriis Epistolis major requiritur ornat⁹ meliorque ordo, quam in familiaribus: in his ultimis enim non adeo operose conquirenda sunt fragrantissima rosa violaque: in anterioribus vero per exquisitiorem rerum explanationem diffundere balsamum Tuum, rebusque Tuis ingens pondus addere teneris. Sed nolumus cramben toties coctam recoctamque centies Tibi apponere: speramus potius, Te pro innata Virtutis Tue gloria dexterrime interpretaturum

CONA-

conatum nostrum in provehendis
 desideriis Tuis flagrantissimum. In-
 terea à boni consule qualemcunq; hunc
 laborem nostrum, qui quidem ad
 millenarium usque excreverat Epì-
 stolarum numerum; nolumus tamen
 tam invidi esse, ut Tibi persuadea-
 mus, quin desiderium nostrum, pa-
 tria telluri iterum redditi, aequè re-
 ligiosa mente manuque in posterum
 exsolvere valeamus. Potius speram⁹
 nos longè profundioribus documentis
 argumentisq; fidem nostram brevi
 liberaturos esse. Sed ne Te, Benignis-
 sime Lector, sine certo aliquo augu-
 rio ex amplexibus nostris dimitta-
 mus; en Oratorem nostrum Civi-
 lem una cum aliis nonnullis, Studiis
 Tuis litterariis unicè consecratis O-
 pusculis, quae partim jam tum ad
 prelum parata habemus, partim et-
 iam ultimam nostram manum ad-
 huc desiderant, primâ datâ occasione
 exspecta: Modò de affectu Tuo, quò
 præ-

presentem hunc laborem nostrum
 exceperis, nobis prius constet. Quod
 si is Tibi non arriserit, tantum abest,
 ut meditentis nostris Tibi amplius
 molesti esse perrexerimus, ut potius
 sacratioribus, scopoq; nostro magis
 inservientibus curis tempus pretio-
 sissimum in posterum impendere de-
 stinaverimus. Juvare enim tantum
 publica commoda, non verò eadem
 negligere ac intercipere presenti
 Scripto paramus, nulli dubitantes,
 quin æquissimos exili huic opusculo
 conciliaturi simus Judices. Quo in
 voto hâc vice desinimus, & Te di-
 vîno Nomini Numiniq; nos verò fa-
 vori Tuo ex antiquâ pietatis for-
 mulâ sanctè sincereq; commen-
 damus.



ELEN-



ELENCHUS CAPITUM
 IN
 INSTITUTIONE EPI-
 STOLICA CONTENTO-
 RUM.

PRæmissa est prius Structuræ Epi-
 stolicæ compellatio Auctoris,
 quâ Lectorem candidum benevo-
 lumq; ad masculã solidioris Litte-
 raturæ invitat elegantiam. pag I
 Sequitur in ordine *Caput. I* De indole
 ac natura Epistolarum, variisq; ea-
 rundem nominibus agens. 21
Caput II. Agit de materie definita ac
 divisa, ut & de præmissis Epistolæ. 34
Caput III. De Clausula, ceu genuino
 Epistolarum fine; item de signo
 aliisq; necessariis multis ad clausu-
 lam confirmandam pertinentibus
 pertractat rebus. 50
Caput IV. De materie variâ, ejusq;
 sectione suscipit tractationem. 71
Caput

<i>Epistola Votiva ordine, quarum I.</i>	
Ad Regem, annis meritisq; gravē, est directa, cui felicissimum appre- camur annum natalemq;	p. 114
<i>Epistola Votiva II.</i> Ad Regem, cum priorē ejusdem fermē est comma- tis argumentiq;	116
<i>Epistole Votiva III.</i> Ad Principem.	117
<i>Epistola Votiva IV.</i> Ad Principem.	118
<i>Epistola Votiva V.</i> Ad Cancellarium Principis, ejusq; sanctiores Consi- liarios.	120
<i>Epistola Votiva VI.</i> Ad Consiliarios Principis.	123
<i>Epistola Votiva VII.</i> Ad Patronum est directa.	125
<i>Epistola Votiva ad Mecœnatem Po- liticum VIII.</i>	127
Alia ejusdem argumenti <i>Epistola Vo- tiva</i> ad Patronum, & quidem in ordine IX.	128
Alia ad Patronum Fautoremq; <i>Epistola Votiva</i> , & quidem in ordine X.	129
Ad	



Ad Parentem <i>Epistola Votiva XI.</i>	130
Ad Amicum <i>Epistola Votivo, & quidem in ordine XII.</i>	131
Alia ejusdem argumenti <i>Epistola Votiva, & quidem XIII.</i>	133
Ad Præceptorem <i>Epistola Votiva XIV. Discipuli grati.</i>	134
Responsorialia Præceptoris ad Votivam Discipuli <i>Epistolam, & quidem I.</i>	136
Alia ejusdem argumenti <i>Epistola ad Votivam responsoria, & quidem in ordine II.</i>	138

CAPUT II. agit.

De

EPISTOLIS GRATULATORIIS,

Præmissâ priûs dispositione Generali p. 140. delineata, sequuntur nunc *Gratulatoria, quarum I.* ad Regem est directâ, cui de reditu è militiâ in patriam dulcissimam gratulamur.

p. 143

Epistola Gratulatoria II. Quâ Principi,

S 2

cipi,

cipi, redeunti è militia, deq; sincero laudatissimoq; Pacis Studio hactenus sollicito, gratulamur. 145

Epistola Gratulatoria III. Quâ Principi gratulamur de recuperatâ valetudine pristina. 147

Epistola Gratulatoria IV. Quâ honorato Viro de amplissimo Consularii munere ac titulo gratulamur. 148

Epistola Gratulatoria V. Quâ Oratori Ecclesiastico de adepto modò munere amplissimo sincerè observanterq; gratulamur. 150

Epistola Gratulatoria VI. Qua Philosophiæ Professori de naçta ïparta Professoria gratulamur. 151

Epistola Gratulatoria VII. Qua de mitra Doctorali gratulamur Amico. 153

Epistola Gratulatoria VIII. Qua Philosophiæ Candidato de novis Magisterii titulis ac honoribus gratulamur. 155

Epistola Gratulatoria IX. Qua Viro integerrimo dignitatem Consularẽ fau-

faustam fortunatamq; apprecamur

157

Epistola Gratulatoria X. Qua de na-
cta functione Scholastica gratula-
mur Gymnasii cujusdam Reçtori
ac Moderatori felicissimo. 158

Epistola Gratulatoria XI Quâ pere-
grinaturum nobilē gente ac mente
Juvenem gratulatoria prosequi-
mur Epistola. 159

Epistola Gratulatoria XII. Quâ gra-
tulamur Amico de nuptiis. 164

Epistola Gratulatoria XIII. Quâ gra-
tulamur alicui ob recens natum Fi-
lium. 165

Epistola Gratulatoria XIV. Quâ gra-
tulamur alicui ob recens natam Fi-
liolam. 167

Epistola Gratulatoria XV. Quâ Stu-
diosus Patrono Benefactoriq; suo
se insinuat, & ad gratulatoriam ip-
sius simul respondet. 168

Responsoria Patroni ad Clientis Epi-
stolam gratulatoriam. 170

Responsoria Clientis ad Gratulatoriam
Patroni. 171

S 3

Re-



- Responsorialia ad Gratulatoriam Nupti-
alem. 172
Epistola Gratulatoria Ultima. Quâ
Amicus Familiaris sui diem nata-
lem votivâ prosequitur acclama-
tione. 173

CAPUT III. agit,

De

EPISTOLIS DEDICA-
TORIIS.

- Præmissâ prius est Dispositio, indica-
ta p 175. sequuntur nunc
Dedicatoria, quarum I. ad Regem
est directâ. 177
Epistola Dedicatoria II. Ad Regem. 178
Epistola Dedicatoria III. Ad Princi-
pem. 180
Epistola Dedicatoria IV. Ad Princi-
pem. 182
Epistola Dedicatoria V. Ad Rempu-
blicam, ejusq; Proceres amplissi-
mos. 183
Epi-

<i>Epistola Dedicatoria VI.</i> Ejusdem argumenti.	187
<i>Epistola Dedicatoria VII.</i> Ejusdem cum priore commatis.	189
<i>Epistola Dedicatoria VIII.</i> Ad Sena- tum Oppidanum, ejusq; membra singula.	190
<i>Epistola Dedicatoria IX.</i> Ad Meccœ- natem Ecclesiasticum.	192
<i>Epistola Dedicatoria X.</i> Ad JCtum	194
<i>Epistola Dedicatoria XI.</i> Ad Meccœ- natem Politicum.	195
<i>Epistola Dedicatoria XII</i> Ad Patro- num Politicum ejusdem fermè comatis armentiq;.	197
<i>Epistola Dedicatoria XIII</i> Ad Bene- facterem, multis, iisq; maximis meritis nobis cognitum.	199
<i>Epistola Dedicatoria XIV.</i> Ad Pa- rentem directa.	200
<i>Epistola Dedicatoria XV</i> Ad Tuto- rem Fide-dignum.	202
<i>Epistola Dedicatoria XVI.</i> Ad Affi- nem.	203

<i>Epistola Dedicatoria XVII.</i> Ad Præceptorem.	204
<i>Epistola Dedicatoria XIIII.</i> Ad Patronum.	206
<i>Epistola Dedicatoria XIX.</i> Ad Avunculum.	208
<i>Epistola Dedicatoria XX.</i> Ad Amicum veterem.	209
<i>Epistola Dedicatoria XXI.</i> Quæ ejusdem fermè cum priore est cõmatis.	210
Responsoria Amici Epistola ad Dedicatorem alterius.	212
Responsoria Præceptoris ad Dedicatorem Discipuli Epistolam.	213
Alia Responsoria Præceptoris ad Dedicatorem.	214

CAPUT IV.

De

EPISTOLIS EUCHARISTICIS.

Præmissâ prius Dispositione generali pag. 215. efflorescente, sequuntur nunc ordine

Eucharistica, quarum I. Ad Regem est

est directa.	217
<i>Epistola Eucharistica II.</i> Ad Regem.	219
<i>Epistola Eucharistica III.</i> Ad Principem.	220
<i>Epistola Eucharistica IV.</i> Ad Principem.	222
<i>Epistola Eucharistica V.</i> Ad sanctiores Principis Consiliarios.	224
<i>Epistola Eucharistica VI.</i> Ad sanctiores Reipublicæ ejusdam Consiliarios.	226
<i>Epistola Eucharistica VII.</i> Ad Patronum, cui gratias agimus pro variis acceptis beneficiis.	228
<i>Epistola Eucharistica VIII.</i> Ad Senatam Oppidanum, cui gratias agimus pro aucto prorogatoq; stipendio.	229
Alia ejusdem comatis argumentiq; Epistola Eucharistica, & quidem in ordine. IX.	230
<i>Epistola Eucharistica X.</i> Ad Patronos, pro Studio egeno concepta	231
<i>Epistola Eucharistica XI.</i> Ad Patronum	S 5

- num privatum. 232
- Epistola Eucharistica XII.* Quâ gratias agimus Viro honorato pro epulis delicatis, colloquioq; docto. 234
- Epistola Eucharistica XIII.* Quâ Filius morigerus divino Numini gratias agit, sibiq; de recuperata Parentis Optimi sanitate simul gratulatur. 235
- Responsorialia ad Eucharisticam Amici Epistolam. 230

CAPUT V.

De

EPISTOLIS LAUDATORIIS.

- Præmissâ prius Dispositione breviculâ p. 238. adumbratâ, sequuntur nunc *Laudatorie, in quarum I.* laudamus Juvenē, tempus suum in Academica palæstra benè collocantem. 238
- Responsorialia Studiosi ad laudatoriam præcedentem. 240
- Epistola Laudatoria II.* quæ ad Parentem Studiosi cujusdam, magnâ cum laude litterario curriculo versantis, est directâ. 241

CAPUT

CAPUT VI.

De

EPISTOLIS OFFICIOSIS.

Præmissâ prius Dispositione p.243. effigiata, sequuntur nunc

Epistola Officiosa, quarum I. Ad Regem est directâ. 244

Epistola Officiosa II, ad Principem. 245

Epistola Officiosa III. Quâ magni curjusdam Viri favorem parare nobis studemus. 246

Epistola Officiosa IV. Quâ magni curjusdam Viri favorem demereri studemus. 247

Epistola Officiosa V. Quâ quis se apud Patronum insinuare, ejusdemq; favorem ambire gaudet. 250

Epistola Officiosa VI. Quâ studia nostra alicui deferimus. 251

Epistola Officiosa VII. Quâ Filius Parentis sui favorem sibi conciliare studet. 253

Epistola Officiosa VIII. Quâ Studiosus Professore[m] petit, ut benevolam sui

memoriam non deponat. 254

Epistola Officiosa IX. Quâ litterarum
nostrarum raritatem excusamus, &
simul optimi Patroni favori nos in-
sinuamus. 256

CAPUT VII.

De

EPISTOLIS COMMENDATITIIS.

Præmissâ priûs Dispositione p. 258. de-
lineatâ, sequuntur nunc ordine

*Epistola Commendatitia, in qua-
rum I.* Pater Filium suum comen-
dat Professori. 260

Epistola Commendatitia II. Quâ Ju-
venem comendamus Patrono. 261

Epistola Commendatitia III. Quâ o-
ptimæ indolis Juvenem commen-
damus Patrono. 263

Alia ejusdem argumenti *Epistola*
*Commendatitia, & quidem in or-
dine IV.* 264

Epistola Commendatitia V. Quâ pu-
blicæ commendationis argumen-
tum exemplumq; exhibemus. 265

Exemplum Epistolæ commendatiæ
*publicum, quò in Academiis defun-
gi pos-*

- gi possunt personæ publicæ. 267
Epistola Commendatitia VII. Quâ
 Rector Scholæ sollicitatur, ut Juve-
 nem moribus probatis in discipli-
 nam fidemq; suam recipiat. 267
 Responsorix ad Commendatitias, &
 quidem ex iisdem I. 270
 Alia ejusdem argumenti Epistola re-
 sponsoria II. 271
 Alia ejusdem Commatis Epistola ad
 comendatitiam responsoria III. 273

CAPUT VIII.

De

EPISTOLIS PETITORIIS.


Præmissâ prius Dispositione p 274. de-
 lineata, sequuntur nunc prono or-
 dine

Epistola Petitoria, quarum I. Ad Re-
 gem est directâ, à quô petimus sub-
 sidia ad studia nostra eò melius fe-
 liciusq; in posterum continuanda.
 276

Epistola Petitoria II. Ad Principem
 pro sumtibus in studia Academica
 benignissimè conferendis. 278

Epistola Petitoria III. Ad Sanctiores

- Principis Consiliarios, à quibus Studiosus petit stipendium ac intercessionem pro eo apud Principem. 280
- Alia ejusdem argumenti Epistola Petitoria, & quidem in ordine IV. quâ studiosus sollicitat Professores de comendatione ad Serenissimum Principem exaranda pro impetrando aliquo studiorum subsidio. 282
- Epistola Petitoria V.* Quâ Studiosus magni cujusdam Viri favorem atq; benevolentiam petit. 285
- Epistola Petitoria Exemplum VI.* Quâ Studiosus defungi potest apud Senatum Oppidanum, ut necessarios nimirum ad studia felicissimè continuanda benevolè in posterum suggerat sumtus. 287
- Epistola Petitoria VII.* Quâ Studiosus Patroni sui favorem petit ambitq;. 189
- Epistola Petitoria VIII.* Quâ de officio Scholastico Magistratum sollicitat Studiosus. 290
- Epistola Petitoria IX.* Quâ Studiosus à Pa-



à Parente rogat pecuniam.	292
Formula petendi generalis ad Fauto- rem X.	294
Similis petendi Formula ad Patronum & quidem in ordine XI.	295
Responsoriae ad Petitorias, & quidē I.	296
Responsoriae Professoris ad Petitoriam Parentis II. Qua de profectibus Fi- lii & honoris gradu obtinendo su- am profert mentum Philosophiæ Doct̃or.	297
Responsoriae Amici ad petitoriam fa- miliaris III.	299
Responsoriae Epistola ad petitoriam Amici IV.	300

CAPUT IX.

De

EPISTOLIS VOCATORIIS.

<i>Epistola Vocatoria</i> privati ad Virum doct̃um.	301
Responsoriae ad Vocatoriam I. Qua in- nuimus, quod impares nos sentia- mus in administrando illo officio publico, ad quod evectos nos velit Magistratus.	303
	Re-



Responsoria ad Vocatoriam II. quâ
pollicemur, quod prima data occa-
sione comparere, & oblatam nobis
functionem Ecclesiasticam præsen-
tia nostra ornare decreverim⁹. 304

CAPUT X.

De

EPISTOLIS SUASORIIS

AC

HORTATORIIS.

Præmissâ priûs Dispositione p. 306. in-
dicatâ, sequuntur nunc

Epistola Suasoria, in quarum I hor-
tamur Juvenem, ut fructuosam su-
scipiat peregrinationem. 308

Epistola Suasoria II. Quâ hortamur
calumniis petitum hominem, ut
noxia conviciatorum tela erectâ
ferat cervice. 309

Epistola Suasoria III. Quâ reconci-
liationẽ cum inimico urgemus. 311

Epistola Suasoria IV. Quâ hortamur
aliquem ad continuanda elegantio-
rum litterarum studia. 312

Epistola Suasoria V. Quâ hortamur
studiosum, ne nomen suum det
mili-

militiæ.	314
<i>Epistola Hortatoria VI.</i> Quâ urge- mus editionem promissi scripti.	316
<i>Epistola Hortatoria VII.</i> Quâ horta- mur Studiosum, ut tempus, tan- quam rerum omnium pretiosissi- mam rem in Academica palæstra benè recteq; collocet.	318
<i>Epistola Hortatoria VIII.</i> Quâ Ado- lescentem hortamur, ut pravum vitet consortium.	320
Ad Suaforiam Responsorizæ Amicorum Epistolæ.	321
Alia ejusdem argumenti Epistola Sua- foriæ.	323

CAPUT XI.

De

EPISTOLIS NARRATORIIS.

Præmissâ priùs Dispositione, Narrato-
rias pag. 324. concernente, sequun-
tur nunc

<i>Epistolæ earum, in quarum I.</i> De statu Academiæ agimus.	326
<i>Epistola Narratoria II.</i> Quâ de cæde Studiosi cujusdem narramus.	328
<i>Epistola Narratoria III.</i> Quâ de mise- randa	



randā patriæ nostræ facie agim⁹. 331
Responsorīa ad Narratoriam. 331

CAPUT XII.

De

EPISTOLIS QUERULIS.

Præmissâ priûs Dispositione p. 333. indicatâ, sequuntur nunc

Lamentatoria, in quarum I. Immaritarum Principis nostri obitum deploramus. 335

Epistola Lamentatoria II. Quâ mortem Theologiæ Doctoris depioramus. 336

Epistola Lamentatoria III Quâ mortem Parentis nostri deploramus. 339

Epistola Lamentatoria IV. Quâ mortem Patroni nostri acerbis prosequimur lachrymis. 341

Epistola Lamentatoria V. Quâ de prolapsa ac deperdita valetudine nostra querimur. 342

Epistola Lamentatoria VI. Quâ de intermissione litterarũ querimur. 343

Epz-

Epistola Querula VII. Quâ queri-
mur de inconstantia Amici quon-
dam optimi. 344

CAPUT XIII.

De

EPISTOLIS CONSOLATORIIS.

Præmissâ priûs Dispositione p. 345. de-
lineata. sequuntur nunc

Epistola Consolatoria, in quarum I.
Jctem, Conjugis suæ obitum acer-
bissimâ lugentem, consolamur. 348

Epistola Consolatoria II. Qua Patrem
Filiî mortem lugentem, erigimus.
352

Epistola Consolatoria III. Qua Pa-
trem, Filiæ suæ mortem lugentem,
consolamur. 354

Epistola Consolatoria IV. Qua Præ-
ceptoris optimi excessum inspera-
tum, acri dolore incensi, amaris
prosequimur lacrumis. 356

Epistola Consolatoria V. Quâ con-
solamur aliquem calumniis peti-
tum. 358

Epistola Consolatoria VI. Quâ con-
sola-

- solamur aliquem in exilium mis-
sum. 360
- Epistola Consolatoria VII.* Qua eri-
gimus aliquem, ut calamitates pub-
licas fortiter ferat. 361
- Epistola Consolatoria VIII.* Qua con-
solamur aliquem ob bonorum o-
mnium amissionem direptionemq;
363
- Epistola Consolatoria IX.* Qua erigi-
mus Hominem, rebus adversis con-
cussum ac fermè depressum. 363
- Responsoria ad Consolatorias. 365.
366. 367.

CAPUT XIV.

De

EPISTOLIS OBJURGATORIIS.

Præmissa prius Dispositione pag. 368.
indicatâ, sequuntur nunc prono or-
dine

Epistola Objurgatoria, in quarû I.
Tutor reprehendit Juvenem, quod
relictis melioribus litteris in amo-
re infano profligatæ cujusdam per-
sonæ contra conscientiam hæreat.

372
Epi-

Epistola Reprehensoria I I. Quâ Tutor castigat Adolescentem dissolutum. 373

Alia ejusdem commatis *Epistola objurgatoria, & quidem in ordine III.* 374

Epistola Objurgatoria IV. Qua castigamus Juvenem ob vitam luxuriosam. 375

Epistola Objurgatoria V. Qua Pater optimus objurgat Filium suum immorigerum, ut tandem surgat ab otio, nec ceu mortuum cadaver vivat in Academia. 377

Responsoria Filii ad exprobratoriam seu objurgatoriam Parentis. 379

CAPUT XV.

De

EPISTOLIS DEPRECATORIIS.

Præmissa prius Dispositione pag. 380, indicata, sequitur nunc ordine

Epistola Deprecatoria I. Qua Filius hætenus immorigerus veram Parenti suo pollicetur emendationẽ.

382

Epi-



*Epistola Deprecatoria II. Qua quis
se purgat ab intentatis criminibus.*

384

*Epistola Deprecatoria III. Quâ silen-
tium apud Amicum excusamus.*

386

CAPUT XVI.

De

EPISTOLIS INVITATORIIS.

Præmissa est Invitatoriis Epistolis Di-
spositio pag. 387. indicata: Sequun-
tur nunc

*Invitatoria, in quarum I. Amicum
ad nuptias invitamus.*

389

*Alia ejusdem argumenti Epistola In-
vitoria.*

390

Alia ejusdem comatis Invitoria.

391

*Responsoria Amici ad Invitoriam
Sponsi.*


392

CAPUT XVII.

De

EPISTOLIS VALEDICTORIIS.

Præmissa est Epistolis Valedictoriis
Dispo.



Dispositio p. 394. delineata : Sequuntur nunc

- Valedictoria, in quarum* I. Benefactori discessum nostrum indicamus, eiq; simul quàm animi, quàm corporis bona vovemus. 395
- II. Qua Præceptori amantissimo discessum nostrum significamus, eiq; simul pro tot innumeris beneficiis gratias agimus maximas. 397
- Epistola Valedictoria ad Amicum* III. 400
- Epistola Valedictoria ad Amicum* IV. 401
- Responsoria ad Valedictoriam. 402
- Tandem Epilogus ultimum toti operi adsignat complementum.

FINIS.



